sed indirectè, in quantum scil. ex voluntate multum inclinata ad peccandum procedit, quod aliquis non prætermittat facere damnum sibi vel alii, quod simpliciter non vellet. Quandoque autem nocumentum nec est prævisum, nec intentum, & tunc si per accidens se habet ad peccatum, non aggravat peccatum directè, sed propter negligentiam considerandi nocumenta, quæ consequi possent, imputantur homini ad pœna mala, quæ eveniunt præter ejus intentionem, si dabat operam rei illicitæ. Si verò nocumentum per se sequatur ex actu peccati, licèt non sint intentum, nec prævisum, directè peccatum aggravat: quia quæcumque per se consequuntur ad peccatum, pertinet quodammodo ad ipsam peccati speciem, puta si aliquis publicè fornicetur, sequitur scandalum plurimorum, quod quamvis ipse non intendat, nec fortè prævideat, directè per hoc aggravatur peccatum. Hæc S. D. Vide infra *Tract.* 8. *de Restit. Exam.* 6. de culpa requisita ad obligationem restituendi, *n.* 124.

Ex his colligitur, quod sæpe contingat aliquid esse intentum ex parte operis, licet non intendatur ex parte operantis, si nim. operi necessario annectatur.

XXXVIII. *Oppono* 1. Ergo gravius peccat, qui mulierem seducit ad fornicandum, quàm si illam occidat, ob gravius nocumentum, utpotè in vita spirituali (quæ melior est corporali) illatum.

2. Christus prævidebat ex sua prædicatione & miraculis futura Judæorum varia peccata, v. g. blasphemias, detractiones, &c. & tamen non desistebat.

Ad 1. N. illatum. Disparitatem dat S. Th. *hic ad* 3. dicens: *Primò*. Homicida intendit directè nocumentum proximi, fornicator autem, qui provocat mulierem, non intendit nocumentum, sed delectationem. *Secundò*. Homicida est per se & sufficiens causa corporalis mortis, spiritualis autem mortis nullus potest alteri esse causa per se sufficiens: quia nullus spiritualiter moritur, nisi propria voluntate peccando. Hæc ibi.

Ad 2. R. quod peccata Judæorum non sequebatur ex prædicatione Christi, sed ex propria eorum malitia. Sicut ex sola petulantia lascivi Juvenis oritur, si labatur in turpem amorem puellæ honestæ juxta statum suum se ornantis.

QUÆRO XII. Aggravaturne peccatum ex conditione personæ in quam peccatur?

XXXIX. Resp. *affirm.* cum S. Th. *hic* art. 9. Ubi hoc sic *declarat & probat*. Persona, in quam peccatur, est quodammodo objectum peccati; dictum est autem supra, quod prima gravitas peccati attenditur ex parte objecti, ex quo quidem tantò attenditur major gravitas in peccato, quanto objectum ejus est principalior finis. Fines autem principales humanorum actuum sunt, Deus ipse, homo, & proximus: quidquid enim facimus, propter aliquid horum facimus, quamvis etiam horum trium unum sub altero ordinetur. Potest igitur ex parte horum trium considerari major, & minor gravitas in peccato, secundum conditionem personæ in quam peccatur. *Primò* quidem ex parte Dei; cui tantò magis aliquis homo conjungitur, quanto est virtuosior, vel Deo sacratior, & ideò injuria tali personæ illata; magis redundat in Deum, *secundum* illud Zach. 2. *Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei*. Unde peccatum fit gravius ex hoc, quod peccatur in personam magis Deo conjunctam, vel ratione virtutis, vel ratione officii.

Ex parte etiam sui ipsius manifestum est, quod tantò aliquis gravius peccat, quantò aliquis magis in conjunctam personam, seu naturali necessitudine, seu beneficiis, seu quacumque conjunctione peccaverit: quia videtur in se ipsum magis peccare, & pro tanto gravius peccat, secundum illud Eccles. 14. *Qui sibi nequam est cui bonus?*

Ex parte verò proximi tantò gravius peccatur, quantò peccatum plures tangit. Et ideo peccatum quod fit in personam publicam, puta, Regem, vel Principem, qui gerit personam totius multitudinis, est gravius quàm peccatum, quod committitur contra personam privatam. Unde specialiter dicitur *Exod.* 22. *Principi populi tui non maledices*: Et similiter injuria, quæ fit alicui famosæ personæ, videtur esse gravior ex hoc, quod in scandalum, & in tribulationem plurimorum redundat. Hæc S. D. Qui ex ultimis verbis ibidem infert, quod Deus, si gravius punit eum, qui contra excellentiores personas peccat, exinde tamen non dicatur acceptor personarum, punit enim ob rationem ultimis verbis insinuatam.

Declaratur ulterius per exempla. Occisio Sacerdotis est gravior quam Diaconi. Horribilius est occidere Patrem vel Matrem, quam alios. Gravius est percutere Magistrum, quam concipulum: Doctorem, quam rusticum: Principem, quam subditum: immò percussio, quæ respectu hominis vulgaris esset venialis, si fiat Principi, potest esse mortalis. Quoad nocumentum, quod quis sibi ipsi infert, ait S. D. ad 2. *Si quis sibi ipsi infert in his quæ subsunt dominio propriæ voluntatis, sicut in rebus possessis, habet minus de peccato, quam si alteri inferatur. Sed in his quæ non subduntur dominio voluntatis, sicut sunt naturalia, & spiritualia bona, est gravius peccatum, nocumentum sibi ipsi inferre: gravius enim peccat, qui occidit seipsum, quam qui alterum.*

Not. quod quamvis ex parte objecti, seu ex genere suo gravius sit peccatum, quod fit in personam Deo magis conjunctam, v. g. occidere Sacerdotem, quam quod fit in personam peccanti conjunctiorem, v. g. occidere parentem; & gravius sit interficere parentem, quam Regem: quia primus peccat contra præstantiorem virtutem, scil. Religionem, & peccat peccato sacrilegii, secundus contra pietatem, & justitiam, quæ sunt minores virtutes: tertius contra justitiam tantùm, quamvis, inquam, ex genere suo graviora sint, in individuo tamen gravius peccatum est occidere Patrem aut Matrem, quam Sacerdotem, aut virum sanctum, eo quod juxta S. Thom. 2. 2. quæst. 26. art. 7. & 8. homo teneatur magis ex charitate diligere parentes. Similiter etiam ratione alterius circumstantiæ potest esse gravius peccatum, occidere Regem, quam parentem si nimirum ex vita Regis pendeat salus Reip. quia occidendo Regem, occiderentur multi, & ipsa Resp. pateretur. Eadem de causa potest in individuo majus esse peccatum occidere Sacerdotem quam parentem, si nim. ex vita Sacerdotis pendeat vita spiritualis multorum. Nequit ergo hic certa statui Regula, sed attentis omnibus circumstantiis prudenter mensuranda est peccatorum gravitas.

QUÆRO XIII. Aggravaturne peccatum ex magnitudine personæ peccantis?

XL. Resp. *Affirm.* cum S. Thom. *hic* art. 10. sic discurrente: duplex est peccatum: quoddam ex subreptione proveniens propter infirmitatem humanæ naturæ, & tale peccatum minus imputatur ei, qui est major in virtute, eo quod minus negligit hujusmodi peccata reprimere, quæ tamen omnino subterfugere infirmitas humana non sinit: alia verò peccata sunt ex deliberatione procedentia, & ista peccata tantò magis alicui imputantur, quantò major est. Et hoc potest esse propter quatuor:

Primò quidem, quia facilius possunt resistere peccato majores, puta, quia excellunt in scientia, & virtute. Unde Dominus dicit Luc. 12. *quod servus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis.*

Secundò propter ingratitudinem, quia omne bonum, quo aliquis magnificatur, est Dei beneficium, cui homo fit ingratus peccando, & quantum ad hoc quælibet majoritas etiam in temporalibus bonis, peccatum aggravat, secundum illud Sap. 6. *Potentes potenter tormenta patientur.*

Tertiò propter specialem repugnantiam actus peccati ad magnitudinem personæ. Sicut si Princeps justitiam violet, qui ponitur justitiæ custos, & si Sacerdos fornicetur, qui castitatem vovet.

Quartò propter exemplum, sive scandalum, quia ut Gregorius dicit in Pastorali, in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia gradus peccator honoratur. Ad plurium etiam notitiam perveniunt peccata Magnorum, & homines ea magis indignè ferunt. Hæc S. D.

Quæri hic posset & resolvi cum S. D. q. 73. art. 1. an & quomodo omnia peccata sint connexa. Sed de hoc vide infra *Tract.* 13. *Exam.* 2. *n.* 21. *in R.* 2. *ad* 2. *oppos.*

QUÆRO XIV. Quodnam est subjectum proximum peccati, non physicè, sed moraliter sumpti? Estne sola voluntas? Vel etiam intellectus, & appetitus sensitivus? An membra externa?

XLI. Dixi in titulo, *Proximum*, quia non nego subjectum remotum peccati esse ipsam creaturam rationalem. Dixi 2. *peccati non physicè sumpti*. Certum enim est, quod ipse actus physicus peccati subjectetur in potentiis ac membris externis, v. g. impudicus tactus in manu, vel alia corporis parte, aspectus in oculo, &c. Quæstio ergo est de formali ratione malitiæ, ac deformitatis peccati. Quid sit appetitus sensitivus, & quomodo dividatur, vide *Tract.* 4. *Exam.* 1. *n.* 4.

Suppono etiam, omne peccatum debere esse voluntarium & liberum, est enim in genere moris; juxta S. Thom. autem in 2. d. 24. q. 3. art 2. *Ibi incipit genus moris, ubi primò dominium voluntati invenitur.* Ex S. Aug. l. 1. 2. Retract. cap. 13. dicit: Peccatum *adeo voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Et Serm. 1. de Verb. Dom. *Potes aurum perdere & nolens, potes & donum: bonum autem, quo bonus es, nec invitus accipis, nec invitus amittis.* His præmissis,

Resp. Probabilius est, quod peccatum formaliter sumptum non solum sit in voluntate, sed etiam in intellectu, seu ratione, ac in appetitu sensitivo, non tamen in potentiis, vel membris externis. Ita cum S. Th. *hic q.* 74. *per* 4. *art.*

Ratio 1. Contraria sunt circa idem, puta, subjectum, ut *arguit* S. Th. hic art. 2. cum ab eodem subjecto se expellant: Sed peccatum contrariatur virtuti. *Ergo* ubi est virtus, ibi potest esse peccatum. *Subsumo*: Sed juxta S. Thomam, ut patet ex dictis supra in hoc *Tract. Exam.* 1. *n.* 3. *& seqq.* non tam in voluntate, sed etiam in intellectu practico, & in appetitu sensitivo (non tamen in membris externis, utpotè despoticè subjectis) sunt veræ virtutes. *Ergo* & peccata.

Ratio 2. Juxta S. Thom. in eodem art. 2. *Ejusdem* potentiæ *est actus, cujus est habitus*: Sed non solùm in voluntate, sed etiam in intellectu, seu ratione, ac in appetitu sensitivo dantur habitus formaliter vitiosi, in intellectu quidem infidelitas, hæresis, imprudentia, error, &c. sicut in eo sunt virtutes eis oppositæ scilicèt fides, prudentia, &c. in appetitu verò ira, intemperantia, &c. uti & oppositæ eis virtutes, nim. mansuetudo, temperantia, &c. *secus* est de membris externis. *Ergo* & actus peccaminosi formaliter.

Ratio 3. Potentia quæ est libera, & cujus actus ex propria ratione talis potentiæ potest esse inordinatus, potest esse proprium & proximum subjectum peccati, seu formalis malitiæ moralis, ut arguit S. D. q. 74. art. 3. Sed in primis intellectus est potentia saltem radicaliter libera. Deinde idem intellectus, ut & appetitus sensitivus (idem est de actibus) ex communicatione cum voluntate participant ab ea formalem intrinsecam aliquam libertatem, ac indifferentiam, vi cujus objecto suo non tam immobiliter adhærent, quin ab ipso possint dimoveri ex voluntatis imperio, cui parent solum politicè, & ea invita sæpe in actus suos prorumpunt. Hanc verò indifferentiam non habent membra externa, cum despoticè pareant voluntati. Item actus intellectus, & appetitus sensitivi ex propria ratione possunt esse inordinati. Quod sic *prob.* Erroneum dictamen intellectus deordinans, & deficiens ab ultimo fine, & lege æterna est actus inordinatus ex propria ratione ipsius intellectus, ut malè voluntatem dirigenuis, & radicaliter indifferentis. Item motus sensualitatis (quia ex propria ratione appetitus sensitivi tendunt in objectum à recta ratione prohibitum, & turbant judicium rationis, ejusque imperio obluctantur) etiam ex propria ratione suæ potentiæ habent inordinationem quamdam; qua de causa etiam utraque potentia indiget habitibus bonis, quibus adjuventur in suis actibus, ut promptius voluntatis rectæ imperio pareant: secus est de membris externis. Ergo subsistit data resolutio.

Vide dicta de Regimine politico, & despotico supra in hoc *Tr. Exam.* 1. *q.* 3. *R.* 3. *n.* 5. *in Declar.* 5.

XLII. *Oppono* 2. Una numerò malitia non potest intrinsecè subjectari in duobus potentiis: Sed S. Th. hic art. 1. in fine corp. ait, quod peccatum sit in voluntate sicut in subjecto. Ergo non in intellectu vel appetitu. *Maj. prob.* Unitas numerica accidentis sumitur à subjecto, unde juxta Thomistas idem numerò accidens nequit etiam divinitus esse in pluribus subjectis realiter distinctis. *Ergo.*

2. Juxta S. Thomam 1. 2. *q.* 20. *art.* 3. actus exteriores non habent distinctam bonitatem, vel malitiam formalem ab ea, quæ est in actu voluntatis: sed actus intellectus, & appetitus sensitivi sunt actus à voluntate externi. Ergo malitia moralis non est in intellectu, & appetitu, sed in sola voluntate.

Ad 1. *dist. min.* 1. Aliquod peccatum, *C.* universaliter omne, *N.* Quia in articulis seqq. S. Thomas expressè dicit, quod in sensualitate, & intellectu sit peccatum. 2. Dato, quod loquatur de omni peccato, vult quod si sermo sit de malitia totali & adæquata, v. g. hæresis, quam dixi esse in intellectu, vel luxuriæ, quæ est in appetitu sensitivo, ea subjectetur in intellectu, & voluntate (idem est de voluntate & appetitu) sicut in subjectis partialibus, unitas autem numerica accidentis non à subjecto partiali, sed à totali desumenda est: sic ut pars malitiæ intrinsecè, & formaliter sit in voluntate, & pars in intellectu vel appetitu: quæ partiales malitiæ moraliter uniuntur, & faciunt unam totalem. 3. Dico, quod omne peccatum radicaliter, originativè, primariò, & principaliter sit in voluntate: in intellectu autem & appetitu minus principaliter & secundariò: quibus etiam libertas solùm inest secundariò, utpotè participata, intrinseca tamen.

Ad 2. *dist. min.* Sunt actus externi, tales de quibus loquitur S. Th. *N. min.* secus, *C. min.* & *N. conseq.* Quia S. D. *loco cit.* per actus exteriores intelligit actus membrorum externorum; de iis enim præcisè ponit exemplum in singulis ferè articulis, v. g. de occisione, deambulatione, &c.

Dixisti anted, quod appetitus sensitivus habeat quamdam intrinsecam libertatem à voluntate participatam.

XLIII. *Quo fundamento hoc asseris?*

Fundamentum hoc asserendi constat ex dictis, quæ ostendunt, quod sensualitas non sit potentia purè naturalis, nullo modo rationi obediens, uti est vegetativa: neque obediens ad nutum, seu despoticè, aut merè serviliter, uti membra externa obediunt rationi, & servi Domino; sed politicè, sicut subditi parent Principi, valentes rebellare. Et hoc lamentabilis experientia docet, nimirùm nos etiam nolentes pati passiones, tentari nolentes, & irasci nolentes, & non posse gaudere volentes. Paucis multa: Potentia, quæ Superiori potest ex vi sua obedire & contradicere, habet intrinsecam libertatem, saltem participatam: sed, ut ex dictis patet, appetitus sensitivus potest superiori, scilicèt, rationi, obedire vel resistere. Ergo.

Accedit ex S. Thom. q. 74. art. 3. ad 1. Si cogita-

tativa in homine, uti & reminiscentia, ex conjunctione ad portionem hominis superiorem habet, quod discurrat, & syllogismum conficiat; uti sæpè in nobis experimur, etiam in somno, cur ex conjunctione ad eamdem superiorem hominis partem, scilicèt ad rationem, non deberet appetitui sensitivo concedi hæc participata excellentia, nim. obedientia ad rationem & libertas?

QUÆRO XV. Estne appetitus sensitivus, seu sensualitas ita subjectum peccati, ut omnis ejus motus in rem illicitam sit peccatum mortale, vel saltem veniale, etiam nullo voluntatis consensu, sive formali, sive interpretativo accedente?

XLIV. Resp. Probabilior est sententia negativa. Quæ quoad peccatum mortale, est contra hæreticos, certa verò apud omnes Catholicos. Quoad veniale est contra nonnullos DD. etiam Thomistas, nimirùm, *Cajetanum*, & *Gonetum*, qui in appetitu sensitivo admittunt aliquam formalem libertatem, & intrinsecè inhærentem, participatam tamen ex conjunctione ad voluntatem: quæ licèt non sufficiat ad peccatum mortale, ajunt benè tamen ad veniale, ita ut motus concupiscentiæ præveniens omnem actualem motionem, & consensum voluntatis, etiam interpretativum, sit peccatum veniale juxta illos DD. quorum sententia ab aliis censuratur esse magis ingeniosa quàm vera.

Prima pars de peccato mortali constat tum ex illo Matth. 15. ubi dicitur, quod *illa coinquinant hominem, quæ de corde exeunt.* Tum ex Trid. sess. 5. de Peccato origin. sic definiente. Manere in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc S. Synodus fatetur & sentit, quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, & viriliter per gratiam Christi repugnantibus, non valet: & hanc concupiscentiam, quam aliquando peccatum Apostolus appellat, S. Synodus declarat Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat: si quis autem contrarium senserit, anathema sit. Hæc Conc. Fomes ergo, seu concupiscentia est radix peccati, non peccatum formaliter.

Ratio. Quia lex Dei (cujus jugum suave est) non obligat ad impossibile. Item in naturalibus (seu in iis quæ nobis non sunt libera) nec meremur, nec demeremur: Sed motus concupiscentiæ omnem voluntatis consensum prævenientes vitare, est impossibile, & sæpè proveniunt ex causis merè naturalibus, ut patet in quibusdam motibus carnis. Ergo non sunt formaliter peccata.

Secunda pars de veniali, etiam colligitur ex verbis Trid. citat. Quia profectò concupiscentia noceret renatis non consentientibus, si absque nulla motione voluntatis, ejusque consensu formali, virtuali, ac interpretativo in sensualitate esset libertas sufficiens ad peccatum veniale. Unde & S. Thom. hic q. 74. art. 2. ad 1. clarissimè ait: *Non peccatur nisi voluntate, sicut primo movente, aliis autem potentiis peccatur, sicut ab ea motis.*

Ratio clarè colligitur ex eis, quæ supposui n. 41. ante R. Quia omne peccatum, etiam veniale est in genere moris: Sed genus moris, juxta S. T. ibi cit. ibi incipit ubi invenitur dominium voluntatis. Item patet, nullo modo posse esse peccatum nisi sit voluntarium. Ergo.

Hæc Angelici Doctoris verba explicat Gonet de motione voluntatis, non actuali, sed saltem aptitudinali, seu de voluntate primo movente, non actu, sed potentia.

Contra. Ultimò admissa hac Goneti explicatione, probo, quod cum ea stet voluntatem saltem interpretativè consentire. Nam S. D. in 2. dist. 24. q. 3. art. 2. docet: *Quod motus præcedentes rationem ex eo sunt peccata, quatenus ratio potest impedire & debet*, quod Gonet non negat. *Subsumo*: Sed voluntas non potest (potentia nim. proxima, de remota enim hic non est quæstio, quia alias etiam motus primo primi essent peccata venialia) voluntas, inquam, non est potens motum sensualitatis reprimere sine actu formali, vel interpretativo. Ergo non est peccatum nisi adsit talis actus. Si enim voluntas motum aliquem possit cohibere, & teneatur, & non cohibet, interpretativè consentit. Præsertim cum adsit aliqua intellectus advertentia, quæ negari nequit, cum voluntas non feratur in incognitum.

XLV. *Oppono* 1. S. Thom. hic art. 3. ad 1. attribuit appetitui sensitivo *in nobis præ aliis animalibus quamdam excellentiam, scil. quod natus est obedire rationi, & quantum ad hoc potest esse principium actus voluntarii, & per consequens peccati.* Et in ante dictis jam sæpius in eo admissa fuit aliqua participatæ libertatis prærogativa. *Subsumo*: Sed potentia libera potest peccare. Ergo.

2. S. Th. hic art. 4. expressè docet, in sensualitate posse esse peccatum veniale, non verò mortale: Sed ibi loquitur de appetitu sensitivo præcisè sumpto. Ergo in eo quia tali potest esse peccatum veniale. *Prob. min.* Quia dependenter à voluntate potest in sensualitate etiam esse peccatum mortale. Ergo.

3. Si ratio vigilaret, posset omnes motus sensualitatis impedire. Ergo si non vigilet, nec impediat, illi motus fiunt peccata.

Ad 1. R. S. Thom. appetitui illam excellentiam, & libertatis prærogativam quidem attribuere, dependenter tamen à voluntate, & influxu ejus: unde libertas, quam cum S. Thom. in appetitu sensitivo admissi, ut participatam ex conjunctione voluntatis, non est talis nisi in actu primo, quæ nequit exire in actum secundum, nisi ex consensu, seu licentia voluntatis ut moventis, aut non prohibentis, vel negligentis, saltem interpretativa.

Ad 2. *N. min.* Ad prob. *dist. ant.* Potest esse, si adsit advertentia rationis perfecta, *C. min.* solùm imperfecta, *N. min. & cons.* Vult ergo S. Thom. quod in sensualitate possit esse peccatum solùm veniale, si adsit advertentia rationis solùm imperfecta, non tamen negat posse in ea esse mortale, si adsit advertentia rationis perfecta.

Ad 3. *dist. cons.* Si ratio etiam semper posset vigilare, *C. cons.* Cum non semper possit, *N. conseq.* Cum enim corpus, quod corrumpitur, aggravet animam, & deprimat sensum multa cogitantem, impossibile in hac vita rationi est semper ita vigilare, ut nulli concupiscentiæ motus insurgant.

Plura de hac re dici possent, ac meritò deberent, sed quia ad fines Philosophicos accedendum foret, & speculativa varia immiscenda, præfixum moralitatis scopum offendere nolens, omissis illis, pergo ad ea, quæ cum dictis connexionem habent. Unde

QUÆRO XVI. Motus sensualitatis primo primi, aut secundo primi, & delectatio morosa quid sunt? Suntne peccata? Præsertim consensus in eam?

XLVI. Resp. 1. Motus inordinati sensualitatis, seu concupiscentiæ sunt triplices. Alii vocantur primo primi, sic dicti, quia omnem rationis advertentiam præcedunt, & naturaliter (seu non liberè, sed quasi ex seipsis) in appetitu sensitivo excitantur, uti sunt subitanei, & repentini motus iræ, vel carnis, &c. hi non sunt peccata, nec mortalia, nec venialia.

Ratio. Quia nullo modo sunt liberi. Ita probat ratio adducta pro 1. p. R. ad q. 15.

Alii motus vocantur secundo primi, sic dicti, quia fiunt cum aliquali & semi-plena advertentia, ac deliberatione, suntque peccata venialia. *Ratio.* Quia sunt imperfectè liberi, nec fiunt ex plena advertentia rationis.

Tandem alii vocantur plenè deliberati, quibus nim. ex prævia plena rationis advertentia voluntas consentit. Et hi si sunt circa objectum illicitum, & lege Dei prohibitum in materia gravi, sunt peccata mortalia. *Ratio.* Quia peccata speciem, & gravitatem sumunt ab objecto, ut suprà probatum est.

Resp. 2. Delectatio morosa est voluntaria, seu deliberata complacentia de objecto aliquo inhonesto per

per cogitationem apprehenso ut præsente.

Declaratur. Dixi 1. *Voluntaria, seu deliberata*, ut insinuetur, dici morosam, non ob moram temporis, quo quis cogitationi immoratur, cum etiam in instanti contingere possit, sed propter morositatem, seu torporem, ac negligentiam voluntatis, quæ licèt malitiam plenè advertat, possetque ac deberet motum reprimere, morosè tamen ei inhæret, in eaque sibi complacet. Dixi 2. *De objecto inhonesto*, seu re illicita, nam quod delectatio de cogitatione rei inhonestæ non sit semper peccatum, postea dicetur. Dixi 3. *Apprehenso ut præsente.* Si enim delectatio, seu complacentia sit de re ut futura, seu opere malo ut exequendo data occasione, est gravius & distinctum peccatum, utpotè consensus in opus, potestque vocari delectatio operosa. Hinc delectatio morosa est simplex complacentia de re inhonesta, v. g. de actu fornicationis, delectabiliter repræsentato. Vocatur *simplex*, quia est sine efficaci desiderio operis.

XLVII. Resp. 3. De consensu cum S. Th. hic q. 74. art. 8. Consensus in delectationem præcisè de cogitatione rei illicitæ, non est ex genere suo, seu secundum se peccatum mortale, sed vel veniale, vel aliquando nullum. Potest tamen aliunde, & ex accidenti fieri mortale.

Ratio 1. part. Quia delectatio est talis in bonitate, vel malitia, quale est objectum, seu res de qua est, quæ si sit quid mortale, est mortalis; si veniale, venialis. *Subsumo*: Sed cogitatio secundum se non est peccatum, vel objectum mortale, sed interdum veniale, ut si quis inutiliter de ea cogitet: interdum sine omni peccato, ut si quis utiliter cogitet de ea, v. g. ad concionandum, ad disputandum, &c. *Ergo.*

Secunda pars constat ex casu, quo quis cum notabili periculo consensus in ipsum opus malum, tali cogitationi immoraretur (ut facilè fieri potest in materia carnis propter objecti delectabilis vehementiam, & lubricam appetitus vitiati propensionem) vel cum neglectu ejus, ad quod sub præcepto tenetur.

Resp. 4. Delectatio morosa (seu consensus in eam) de ipso opere illicito est peccatum mortale, si opus sit tale, v. g. fornicatio: est autem veniale, si opus sit tale, v. g. mendacium jocosum.

Ratio patet ex dictis, quia gravitas peccati sumitur ab objecto.

Not. tamen, quod delectatio de opere adhuc dupliciter possit fieri. 1. Ut sit de opere ipso, ut in se malum est, & sic semper est mala pro qualitate objecti. 2. Ut præcisè sit de modo aliquo artificioso, vel indifferente, ut si artificiosus modus ab alio in duello adhibitus alicui placeat, ideò præcisè, ut eo possit uti in bello justo, detestando injustum, & hoc nullum est peccatum. Vel si quis rideat super ingeniosa furta alicujus, aut super gestus hominis ebrii, sine complacentia in ipsam ebrietatis, vel furti malitiam, non excedit veniale.

XLVIII. *Quomodo* & ex quo potest scire, quod delecteris de sola cogitatione inhonesta, & non de re ipsa?

Dico. Id colligo ex tribus. 1. Si homo reflexè advertat se habere complacentiam in sola cogitatione, & expressè ei displiceat inhonestas operis. 2. Si cogitatio rei illicitæ sit orta ex occasione licita, v. g. ex opere Medico, Chirurgo, casuum lectione, confessionum audientia, &c. 3. Si modus delectabilis, & artificiosus, quem cernis in rebus turpibus, te non magis afficiat, quàm si esset in rebus piis, aut indifferentibus.

XLIX. *Estne* omnis delectatio venerea extra matrimonium peccatum mortale, sive sit in appetitu sensitivo, sive sistat in voluntate, ita ut ibi nulla detur parvitas materiæ?

Affirmo: *Ratio.* Delectatio sensualis venerea est voluptas orta in appetitu sensitivo ex commotione spirituum generationi servientium, quibus substantia seminis incalescens resolvitur; sed hanc voluptatem, & resolutionem extra matrim. quærere est intrinsecè malum, & pro objectorum diversitate est vel inchoata mollities, vel peccatum contra naturam, vel fornicatio, &c. *Ergo.* Deinde amor operis mortaliter mali est peccatum mortale: Sed licèt delectatio sistat in sola voluntate, est tamen amor operis mortaliter. *Ergo* est peccatum mortale.

Quæ & quanta advertentia requiritur, ut delectatio morosa sit peccatum. Idem quæro de quocumque alio peccato.

L. *Dico* 1. Deliberatio, seu advertentia est duplex. Una est plena, & perfecta, quæ adest, quando homo advertit, non solùm ad operationem quoad entitatem naturalem ejus, v. g. ad esum carnium, sed etiam ad ejus prohibitionem, & malitiam, aut periculum transgressionis legis. Alia est imperfecta, quæ est tunc, quando homo non plenè advertit ad malitiam actus, & hæc reperitur in semi dormientibus semi-ebriis, aut magna passione obrutis, &c. qui inter bonum, & malum imperfectè discernunt.

Dico 2. Ut aliquid in individuo imputetur ad culpam mortalem, debet adfuisse plena, & perfecta deliberatio.

Ratio. Peccatum mortale est quid perfectum in genere mali moralis. *Ergo* etiam debet esse quid perfectum in genere actus humani, seu liberi. Item tollit amicitiam cum Deo, & facit hominem æterno supplicio dignum. *Ergo* majorem requirit deliberationem quàm peccatum veniale. *Ergo* perfectam.

Nota tamen, sufficere plenam advertentiam malitiæ in communi. Nam qui operatur in dubio, an opus sit mortale, vel veniale, mortaliter peccat, ut patet suprà in *Tract. de Conscient.* Quia se exponit periculo peccandi mortaliter. Pariter non excusatur qui operatur inadvertentia affectiva, id est, cum quis potest, & tenetur advertere. Ut patet ex dictis suprà *de Ignorantia, Tract. 3. Exam. 1. num. 23. & 24.*

Sed quid si quis dubitet, an habuerit plenam advertentiam, aut fuerit plenè sui compos?

LI. *Dico.* Si sit homo timoratæ conscientiæ, potuissetque tentationem facilè in opus deducere, id tamen non fecerit, sed pro viribus restiterit, timens Dei offensam, soleatque quando tentationes oboriuntur, animum ad Deum convertere, anxietatem deponat, & censeat se plenum consensum non dedisse.

QUÆRO XVII. Quæ est doctrina S. Thomæ circa modum confitendi complacentiam peccati, cogitationes inhonestas, & motus carnis?

LII. Resp. Angelicus Doctor in Opusculo 64. id explicat, cujus ipsissima hic refero verba.

De complacentia habita in memoria peccati.

Sciendum est, quod quando cogitas de injuriis receptis, & in illa memoria turbaris intra te cum aliqua mora, & appetis vindictam fieri, aut factam esse, aut doles quod non fuit facta per te, aut per alium: aut imaginaris aliquid facere, aut aliquem motum tenere animo vindicativo, hæc omnia sunt confitenda, & alia quæcumque similia, si sentis in mente tua, ratione istius injuriæ. Si autem rememorando mala præterita, quæ fecisti, non haberes dolorem, sed potiùs delectationem in eis, & propter hanc delectationem facis moram ibidem, non credo expedire quod specifices ipsa peccata rememorata, si alias integrè confessus es ea, & si non habuisti aliud, quam delectationem in mente, sufficit dicere: Mihi venerunt ad memoriam quædam vindictæ, vel injuriæ, quas feci, vel quædam peccata gravia, quæ commisi, de quibus non solùm non habui dolorem in tali cogitatione, sed de ipsis cum multa complacentia cogitavi, & si aliud tibi occurrit in carne, vel in mente propter dictam complacentiam, quod tibi videtur aggravare peccatum, ipsum etiam debes confiteri, v. g.

Si de peccato luxuriæ per te facto habuisti memoriam, & de hoc habuisti motum carnis, & pœniitudinem, quia ipsum peccatum non fecisti pluriès, vel cum pluribus; tunc enim debes sic dicere: Ex imaginatione quam habui de quodam peccato luxuriæ habui motum carnis, & complacentiam in mente, & appeti-

tivi illum fecisse multotiès, & cum multis personis, & sic non oportet te indicare Confessori, te jam fecisse illud peccatum, nisi forte alias idem indicasses, & nisi pro majore humilitate, & merito velis ipsum ei similiter explicare. Si autem recordaris te habuisse opportunitatem faciendi aliquod peccatum, quod non fecisti, & in illa recordatione non gaudes te evasisse illud peccatum, nec regratiaris Deo, qui custodivit te ab ipso, & abstulit opportunitatem, & voluntatem faciendi ipsum, & omnia ista sunt plenius referenda. Videtur enim in hoc magna ingratitudo, & peccati omissio voluntaria. Sed si in prædicta recordatione peccatorum, & maximè carnalium, non posses vitare complacentiam, & motus carnis, dum velles ea studiosè recolere, causa te ipsum excitandi ad compunctionem, & dolorem, consulo tibi, quod non ea specialiter recolas, nec etiam alia peccata, quæ non potes sine complacentia recolere; sicut est vindicta facta per te, vel alium de inimico tuo, aut damnum, aut mors ejus quem occidisti.

Debes ergo omnia peccata tua, si vis confiteri generaliter, sub duobus, scil. superbia, & delectatione carnis, confitendo dicere sic: Corde meditando, & ore proferendo, dico meam culpam, de superbia, quam habui contra Deum, & proximum, irascendo, invidendo, alios provocando, mundi gloriam appetendo, proximos judicando, Dei creaturam contemnendo, me ipsum bonum reputando, alios vilitando, de Dei operibus ac judiciis, & ejus permissionibus murmurando, bonas ejus inspirationes, & omnia beneficia negligendo, impetus vitiosos sectando, blasphemando, & nomen Dei in vanum proferendo, & linguam meam contra veritatem per mendacia, & simulationes, per duplicitates, & adulationes, per juramenta, & multa alia verba vitiosa taxando, otiosè, ac acediosè vivendo: de me nimis confidendo, de fide dubitando, de occultis Dei operibus rationem præsumptuosè quærendo: plus, quam oportet, sapere de Deo, & de proximo, & de sæculo scire cupiendo, gratiam Dei non humiliter affectando, dona Dei occulta temerariè propalando: non in veritate, sed in hypocrisi, & falsitate coram Deo, & hominibus ambulando, & multa alia per superbiam mentaliter, & corporaliter exercendo. Hæc S. Thomas. In cujus verbis,

Notanda sunt 1. illa, *si aliud tibi occurrit, quod videtur aggravare peccatum, debes confiteri.* 2. Dum dicit, quod non sit opus in confessione exprimere peccatum (de quo quis delectatur) fuisse olim à se commissum, si jam sit ritè confessum, non tamen negat S. D. sed supponit, speciem peccati esse exprimendam. 3. Quod ponit casum de eo qui in speciali, & distincta recogitatione peccatorum, maximè carnalium, non posset vitare complacentiam, dicitque illi licere assignato modo generalius confiteri: quod proinde non debet extendi ad quemcumque casum.

De Cogitationibus inhonestis.

LIII. S. D. ait: Plerique dubitant, si cogitationes inhonestæ sint exterius explicandæ. Credo, quod hoc facere sit puritatis, & perfectionis, & magni meriti, sed non credo esse necessitatis semper, nisi quando ex nimia mora facta in cogitatione illa homo sentiret se inclinari ad faciendum, & perficiendum cogitatum, si opportunitatem haberet, quam vellet: aut si polluueretur ex illa vehementi cogitatione morosa, aut si inordinatè afficeretur ad aliquam personam, & de ipsa multum molestaretur in cogitatione, habendo motus carnis, & imaginando aliquos actus impudicos cum ipsa persona. Hunc enim affectum inordinatum debes exprimere cum cogitationibus, & motibus carnis præcedentibus, dicendo affectum sic: Habui affectum sensualem, & inordinatum ad quandam mulierem, vel quemdam juvenem talis conditionis, & hunc affectum concepi ex complacentia habita in aspectu, & colloeutione, ac præsentia corporali ipsius. De ipso, vel de ipsa habui tot vicibus ac multotiès imaginationes turpes; respiciendo eam oculis corporis, vel mentis faciem, vel aliam partem corporis ejus, & imaginando cum ipsa persona habere amplexus, & oscula, vel talem actum impudicum, & in his feci moram, per magnum spatium habendo motus carnis libidinosos. Et specialiter accidit mihi in oratione existendo, aut Missam dicendo, & semper fui negligens ad laborandum pro posse ad expellendum talia per propositum, propter nimiam delectationem, quam habebam: nec curavi, quantum potui refrænare oculos ab aspectu illius personæ, quando habui præsentiam ejus. Quicumque igitur tales, & tali modo cogitationes, & affectus exprimeret vitiosos, ab eis citò liberantur; dummodo cum tali confessione continuaret orationem, & custodiam sensuum, quia dæmon non potest sustinere humilitatem puræ confessionis, cum sit superbus, & immundus, & omnis humilitatis, & munditiæ inimicus. Et ideò non est melior, & facilior modus ad evitandas tentationes superbiæ, & luxuriæ, quam omnes cogitationes vitiosas, cum suis circumstantiis concurrentibus in carne, vel in mente, sæpè, & clarè detegere Confessori, & totiès exprimere, quotiès renovantur. Hæc ibi.

De motibus carnis.

LIV. Sic ait Angelicus. Sciendum est quod motus in carne, qui non provenit ex cogitatione impudica absque voluntate, & sine causa, scil. visus vel auditus, sine aliqua causa extrinseca inhonesta, sine dubio provenit ex nimia repletione priùs facta in cibo, & potu. Quidam tamen putant, quod provenit ex nimia vigilia, quod potest esse, maximè, quando constat eis, quod non provenit eis ex aliqua causa prædicta. Et ideò oportet hominem esse parcum in dieta quoad qualitatem, & quantitatem, quando de talibus molestatur contra voluntatem, & cum displicentia. Nam intra corpus oritur causa, quia secundùm Hieron. venter, & genitalia proxima sunt. Et hoc intelligo, quod non à causa exteriori, & tunc oportet cavere ipsum ab aspectibus, & collocutione, & ab approximatione personarum, in quarum præsentia sensit se sensualiter delectari: alioquin ille, qui videtur motus naturalis, fieret vitiosus. Et quamvis sit securum confiteri tales motus procedentes sine causa vitiosa, quorum intemperantia videtur causa, dum tamen per ipsos non turbetur amor, & desiderium puritatis in corde, corporalis castitas non maculatur. Si verò procedunt à causa vitiosa, confitenda sunt causæ, locus, & tempus, mora contracta in eis, & vices motuum: sicut suprà de circumstantiis peccatorum dictum est. Non enim sufficit generaliter dicere culpam de motibus, sed debes dicere sic: Dum essem in Ecclesia vel in oratione, vel dum audirem Missam, aut Prædicationem cogitavi talem actum turpem, aut habui memoriam alicujus personæ, in cujus aspectu jam habui unam concupiscentiam, aut inordinatum amorem, aut aspexi in Ecclesia talem personam cum complacentia impudica, cujus causa habui motus carnis impudicos totiès, & per tantam moram. Et si dixisti illi aliqua verba gratiosa prolixè, aut fecisti aliquod servitium malitiosè, ut sciliçèt haberes complacentiam libidinosam, & motus carnales per majorem moram, totum confiteri debes, maximè si verba non dixisses, aut servitium non fecisses sic prolixè, si de istius præsentia delectationem non habuisses. Hæc S. Doctor.

QUÆRO XVIII. Delectatio morosa estne ejusdem speciei cum opere externo? Et quid si fiat cum præcisione objecti?

LV. Resp. 1. Indubitatum est, quod sic absolutè interroganti respondendum sit affirmativè propter testimonium Christi Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.*

Ratio. Quia actus sumit speciem ab objecto: Sed delectatio morosa, & actus externus habent idem objectum. *Ergo.*

R. 2. Certum etiam est, quod si quis delectationi suæ ex intentione præfigat qualitatem personæ; v. g. conjugatæ, vel religiosæ: vel sit circa bestiam, aut personam ejusdem sexus, peccatum sortiatur speciem adulterii, sacrilegii, sodomiæ, &c. & non præcisè simplicis fornicationis.

Ratio est quæ antea.

Resp. 4. Idem est, si delectationi adjunctus sit consensus in opus, nimirùm tunc indubitatè esse ejusdem speciei cum opere externo.

Ratio. Consensus pro suo objecto specificativo respicit ipsum opus ut est, vel erit à parte rei, spectatum cum omnibus circumstantiis invincibiliter non ignoratis. Ergo habet illas, & tot species malitiæ, quot & quas habet opus externum.

LVI. R. 5. Delectatio morosa venerea circa personam conjugatam, consanguineam, religiosam absque consensu in opus, & sine formali oblectatione de qualitate personæ (utpotè quam tibi imaginaris præcisè sub ratione fœminæ pulchræ) non contrahit solùm partem malitiæ, scil. simplicis fornicationis, sed contrahit eamdem, & totam speciem malitiæ, quæ esset in ipso opere, si id fieret, nimirum adulterii, vel incestus, sacrilegii, &c. quæ circumstantiæ proinde omnes in confessione sunt exprimendæ.

Hæc Sententia est contra nonnullos intra & extra scholam S. Th. est tamen tutior & probabilior propter auctoritatem & rationem S. D. hic q. 74. art. 8. ad 4. dicens: *Delectatio, quæ habet actum exteriorem pro objecto, non potest esse absque complacentia exterioris actus secundum se, etiamsi non statuatur impiendum.* Et q. 15. de Verit. art. 5. hanc sententiam sic probat: Non sola voluntas operis, sed etiam delectatio de opere sequitur naturam ipsius operis, quod est finis intrinsecus ipsius delectationis, quippè sunt propter operationes. *Ergo.*

Not. Quod dicitur hic de morosa delectatione, idem dicendum est de impuris tactibus, osculis, amplexibus, &c.

Ratio & declaratio hujus sententiæ est, qua simul excluditur fundamentum Adversariorum. Licèt verum sit, quod delectatio sumat speciem ab objecto, non quomodocumque, sed ut apprehenso & cognito, possit autem persona conjugata, aut religiosa apprehendi ut fœmina pulchra, præscindendo à statu conjugii, vel voti, eo ipso tamen, quod oblectans cognoscat illas circumstantias, aut invincibiliter non ignoret, & eligat magis de venereo opere, cum persona talibus circumstantiis à se cognitis affecta delectari, quam affectum retrahere, eo ipso, inquam, tales circumstantiæ implicitè & interpretativè sunt volitæ, & in objecto formali contentæ. *Subsumo*: Sed ad peccatum mortale sufficit advertentia (idem est de consensu) interpretativa; ab aliis dicta virtualis, in eo sita, quod licèt quis actualiter malitiam non advertat, possit tamen, & teneatur advertere. Ergo. *Min. prob.* Tum quia in moralibus interpretativum æquivalet formali tum etiam quia juxta Theologos aliqua peccata dicuntur fieri ex certa malitia, & aliqua ex passione, aut ignorantia: Sed si ad peccatum mortale non sufficeret advertentia interpretativa, seu virtualis, omnia peccata fierent ex malitia, quia fierent ex certa scientia, & expressa malitiæ advertentia. *Ergo.*

Sed dic, quando censetur quis posse advertere, & cum non advertat, habere advertentiam interpretativam?

LVII. *Dico.* Tunc, quando habet judicium expeditum, & non (instar amentium, ebriorum, aut vehementi passione laborantium) absorptum, seu alligatum, ita ut advertat se habere reflexionem supra seipsum, & interrogatus mox posset respondere de re, quam cogitat.

Oppono. Dixisti anteà posse hominem sine peccato, saltem gravi, delectari de duello (idem est de furto) ut ingenioso, licet non ut injusto. Idem est de verbis & jocis, qua facetis, non ut impuris. Cur non à pari de persona sacra, non qua tali, sed ut pulchra?

Disparitas patet ex S. Thom. ante adducto, quia delectatio de opere sequitur naturam operis, & opus

à circumstantiis personæ non præscindit: ast in exemplis objectis delectatio non est de opere, sed de modo operis, qui tantum per accidens materiæ inhonestæ conjungitur, cum in rebus etiam honestis reperiri possit.

QUÆRO XIX. Quid sentis de illis qui oblectantur prohibitis sub conditione si non essent prohibita? Et in specie quid de hoc actu, si hæc esset mea uxor accederem ad eam? Quid de vidua, sponso, vel conjugato se oblectante circa copulam habitam, vel futuram?

LVIII. Resp. 1. Qui de objecto malo delectatur sub conditione, quæ malitiam operis non aufert nec auferre potest, uti nequit in actibus intrinsecè malis, nec ulla circumstantia cohonestabilibus, ut sunt fornicatio, mendacium, &c. dicit quis, vellem fornicari, mentiri, &c. si non esset peccatum, & probabilius peccat, juxta objecti gravitatem, nim. mortaliter, si illud est tale.

Ratio. Actus illi sunt intrinsece mali, nec potest (saltem practice) malitia ab eis præscindi. Ergo conditio velut impossibilis habetur pro non adjecta. Ergo.

Resp. 2. Loquendo de illis, quæ non sunt intrinsecè mala, nec prohibita quia mala, sed mala quia prohibita, uti ex v. g. comestio carnium die Veneris, & similia, à quibus (ut loquuntur DD.) conditio malitiam auferre potest: item loquendo de eo, qui cum delectatione eliceret hunc actum: Si hæc esset mea uxor accederem ad eam, secus non. De his, inquam, loquendo probabilior mihi videtur sententia Cajetani (dum agit de illo conditionato actu uxorio) distinguentis inter desiderium delectationis, & delectationem ipsam. Sub qua distinctione teneo, quod licet quis licitè possit desiderare in præfactis delectari (quamvis ut plurimum sit actus vanus, & venialiter malus) sub illa conditione, ipsa tamen voluntaria delectatio sit mortalis juxta qualitatem objecti.

Ratio. Quia desiderium potest ferri cum conditione super opus, delectatio tamen voluntaria, quam quis in præsenti de tali opere accipit, non fertur cum, sed sine conditione. Ergo est de re illicita, & peccatum.

Declarat hoc Barthol. Medina observando, quod cum aliquis desiderat actum conjugii conditionaliter cum aliqua, id est, si esset sua, non peccat, quoniam tale desiderium habet objectum rationi consentaneum: Sed cum delectatur quis de hujusmodi actu conditionato cogitato, delectatio ipsa non spectat ad objectum desideratum, & cogitatum, quatenùs est conditionale, ac per hoc redit ad naturam sui generis scil. delectationis morosæ de illicito concubito, ac si illa conditio non esset cogitata. Vide Not. pro R. 5.

Subdit. Et quod hæc doctrina sit ex necessitate amplectenda, vel ex hoc demonstratur, quia alioquin omnia replerentur libidinibus, & delectationibus: nam & Religiosus posset habere istas delectationes, & Monachus in istis delectationibus conditionalibus occupari. Ita ille. Quod ipsum etiam applicari potest ad alios actus conditionales, quorum fit mentio in R. 2. De quibus videatur *ratio*, & declaratio data pro R. 5. ad q. 18.

Nec est eadem ratio sicut de eo, qui sperat se habiturum puellam in uxorem: is enim habet pro objecto actum bonum, scil. conjugii, & absolutè, non sub conditione futurum: hic autem, qui delectatur de actu cogitato cum aliqua, si esset sua uxor, habet pro objecto actum malum, scil. non conjugii, cum de facto sine conditione de illo delectetur, sicque actus ille sit actus fornicationis, ut ait præfatus Auctor.

LIX. R. 3. Si viduus, vidua, sponsus aut sponsa delectatione præcisè rationali, id est, non secuto, vel intento ullo motu carnis, seu concupiscentiæ sensualis, gaudeant de legitimo actu matrimoniali, formaliter ut præterito, aut futuro, eumque approbent propter bonum aliquem effectum, v. g. ob liberos honestè procreatos, aut procreandos, hæreditatem adeptam, vel adipiscendam, si nullatenùs eum sibi imaginentur

ut præsentem, non peccant.

Ratio. Quia objectum talis complacentiæ non est malum, nec per se excitat motus libidinosos seu carnis. Si tamen periculum pollutionis adesset, peccarent mortaliter hoc accidente.

R. 4. Prædicti graviter peccant, si copulam sibi imaginentur ut præsentem, & ex ejus ut præsentis imaginatione se delectent sensualiter, excitando in se voluptatem carnalem, id est, motus carnis, appetitus sensitivi, seu sensualitatis.

Ratio. Talia non licent, nisi ad actum conjugii legitimè consummandum, qui actus tali viduæ, aut sponso, vel impossibilis, vel illicitus est, ut patet. Ergo.

Resp. 5. Si prædicti sponsus aut vidua delectarent se in copula imaginata ut præsente, delectatione ut sistente in appetitu rationali, id est, in voluntate, & non redundante in appetitum sensitivum, tamen peccarent juxta probabiliorem sententiam.

Ratio. Illa rationalis delectatio de copula ut præsente per se est causa impurorum motuum carnis. Ergo.

Nota, hanc distinctionem esse etiam adhibendam circa illum actum uxorium conditionatum, de quo in R. 2.

LX. Resp. 6. Loquendo de conjugatis, certum est *primò*, quod mortaliter peccent, si in actu conjugali delectabiliter sibi imaginentur aliam personam, quasi cum ea rem haberent. *Ratio.* Quia objectum talis delectationis repugnat rectæ rationi.

Certum est 2. eos mortaliter peccare, si in absentia compartis de copula maritali se oblectent cum periculo pollutionis. *Ratio* patebit infrà *Tr.* 3. *Exam.* 2. *n.* 50.

Verùm difficultas est, casu quo desit hoc periculum. Docent hic aliqui DD. quod conjuges in absentia compartis carnaliter erga compartem absentem se oblectantes, venereos motus excitando, possint excusari ratione status matrimonialis. Tutior tamen & probabilior est sententia nostri *Sylvestri*, & aliorum asserentium, quod graviter peccent. Præsertim quia & Doctores oppositæ sententiæ valdè timidè illi adhærent: fatentur enim, non satis liquere, quod matrimonium delectationes carnales, usum matrimonii non concomitantes, nec ad eum disponentes, à mortali excuset.

Ratio patet ex his modo dictis. Nam conjugatis non licèt quocumque modo frui delectationibus carnis, nisi in quantum sunt præambula, vel dispositiones corporis ad actum inde consummandum, vel eum comitantur. Sicut nec eis licet solitariè per tactus impudicos excitare tales delectationes. *Ergo* nec licet eis per cogitatum copulæ habitæ, vel habendæ, aut imaginariè præsentis delectationes carnales commovere, eisve indulgere, cum & istæ nec disponant ad usum matrimonii, nec eum comitentur.

LXI. *Quid censes* de illis, qui sub specie spiritualis mortificationis faciunt mulieres coram se nudari, ut eas disciplinent?

Dico cum *Sylvestro*. Non est dubium, eos mortaliter peccare, si libido principaliter sit in causa. Idem est, si id faciant ex curiosa sensualitate videndo: immò licèt faciant ex stulta intentione mortificandi, nequeunt excusari à mortali.

Ratio. Quia est contra naturalem honestatem, fitque cum periculo lapsus, & scandali.

QUÆRO XX. Ut delectatio morosa, & carnis tentatio homini non imputetur ad culpam, saltem mortalem, quam resistentiam, & quæ media tenetur adhibere?

LXII. Resp. 1. Qui ad motus carnis, quos advertit, habet se merè negativè, ac permissivè, eos positivè, nec approbans, nec positivè improbans, nec ullam simplicem quidem internam animi displicentiam iis apponens, peccat mortaliter.

Ratio. Quia exponit se probabili periculo consensus, *qui* autem *amat periculum peribit in illo.* Eccl. 3.

R. 2. Si desit periculum consensus, non tenetur homo adhibere media extraordinaria ac difficilia, uti sunt jejunia, cilicia, flagella corporis, &c. nec tenetur desistere, si sit in occupatione aliqua honesta, vel sibi utili, v. g. studio casuum, concionis, opere artis medicæ, vel chirurgicæ, si exinde tentationes insurgant, modò alia in sequenti R. assignanda media opponat; etsi in effectu non coerceat, dummodo conetur.

Ratio. Quia tunc deest ratio voluntarii.

Resp. 3. Qui absque rationabili causa; v. g. studii, vel operis chirurgici, ex sola sui animi, & constantiæ confidentia, motus carnis ex naturali proclivitate exortos, dum eos plenè advertit, non conatur reprimere: sed quasi contemptim, & neglectim permittit, nec adhibet remedia saltem ordinaria, v. g. animum, ac phantasiam applicando ad alia, nim. vel ad preces, vel ad studia, vel ad alios discursus de novellis, de historiis: vel se applicando cuidam honesto lusui, labori manuali, &c. talis, inquam, peccat mortaliter. Quæ media, scil. eorum aliquod vel aliqua, præter internam simplicem displicentiam, sub mortali sunt adhibenda. Hæc sententia est tutior & probabilior, habet tamen diversos Adversarios.

Ratio. Supra probatum est, quod ad peccatum mortale sufficiat consensus interpretativus. Sed homo morosam delectationem, aut carnis tentationem plenè advertens, & nullum ex mediis saltem ordinariis apponens, interpretativè in eam consentit. Ergo mortaliter peccat. *Min. prob.* Qui delectationem, vel tentationem reprimere potest & tenetur, & non reprimit, interpretativè ei consentit, ut patet: Sed homo, de quo est sermo, potest eam reprimere, ut supponitur, & tenetur: quod *prob.* Ratio habet naturalem obligationem impediendi inordinatas inclinationes potentiarum inferiorum sibi subditarum, & hoc ideò, quia Natura eam constituit ad illas regendas, in quo regimine si deficiat, peccat, cum regere possit. *Subsumo:* Sed delectatio venerea habet gravem inordinationem ac deformitatem, ut patet ex dictis. *Ergo.*

Nec est, quod Adversarii confugiant ad simplicem displicentiam, putantes eam sufficere ad excusandum à peccato. Non, inquam, per hoc se salvant. Quia ut suprà *Tract.* 3. *Exam.* 1. *num.* 13. ostensum est, simplex displicentia non tollit voluntarium absolutum. Cujus exemplum ibi datum est in mercatore, ex metu naufragii projiciente merces in mare. Ergo cum illa manet delectatio morosa interpretativè voluntaria, nisi etiam alia adhibeantur media.

QUÆRO XXI. Quæ sint causæ delectationis venereæ, quas homo tenetur vitare, & in quibus motus impuri soleant prævideri, aut excitari?

LXIII. Resp. 1. Aliquæ causæ sunt honestæ, utiles, necessariæ, v. g. studium pro disputatione, vel concione de luxuria, confessionum audientia, curatio corporum circa partes pudendas: ex quibus actibus sequi potest carnis tentatio, erectio virgæ, morosa delectatio, pollutio, &c. Ad eamdem causam refertur earumdem partium purgatio à sordibus. Has ergo causas non tenetur homo vitare, secluso periculo consensus.

Ratio 1. Tunc illi motus obsceni nec directè (ut supponitur) sunt voluntarii, nec indirectè. Quod *prob.* Voluntarium indirectum, & interpretativum est, cum non facio, vel non impedio, quod præter posse etiam teneor facere, vel impedire: Sed habens justam, & rationabilem causam ponendi actus præfatos (ex quibus motus inordinati carnis consurgunt) non tenetur eos non ponere. *Ergo.*

Ratio. Effectus, qui per accidens, & præter intentionem sequitur, non imputatur ei, qui prosequitur suum jus: Sed homo dictas actiones exercens prosequitur suum jus, & effectus sequitur præter intentionem, nec actio illa est causa proxima, & notabiliter ac per se influens. Ergo non tenetur desistere, si advertat impuros motus exinde consurgere.

Dixi. *Seclusio periculo consensus*, puta, proximo de quo quid sentiendum, dicetur *Tract.* 5. *Exam.* 2. *n.* 50.

Resp. 2. Aliæ sunt causæ indifferentes, ut equitare, se balneare, comedere calida, jacere in molli lecto, certo situ uti in eo, &c. & de his est eadem ratio, quæ de prioribus. Præsertim si qua in eis sit occasio peccati, solùm est remota, quæ quandiu manet talis, non est necessario vitanda, ut dicetur infrà loco mox citando.

Resp. 3. Aliæ sunt causæ peccaminosæ, vel mortales, vel veniales, intra vel extra genus luxuriæ. Harum aliquæ sunt proximæ, & per se influentes, v. g. voluntariè impuræ cogitationes, tactus, oscula, aspectus libidinosi, id est, animo impuro, seu veneræ delectationis captandæ gratia facti, qui semper sunt peccata mortalia. Idem est de aspectu propriorum verendorum. Tandem aliæ sunt causæ remotæ, & per accidens, v. g. liberior potus, &c. Et is, qui exercet actionem ex natura sua turpem, & moraliter culpabilem in genere luxuriæ, in eaque prævidet, vel pollutionem, vel motum lascivum, peccat mortaliter peccato mollitiei. Et ita est de pollutione, sive in vigilia, sive in somno secuta ad prævios obscœnos tactus, aspectus, cogitationes, &c.

Ratio. Qui est causa causæ per se, est etiam causa causati: sed talis actio est causa per se motus libidinosi. Ergo qui, &c.

Resp. 4. Si motus obscœnus, aut pollutio præter intentionem sequitur, aut prævideatur ex causa solùm remota, & quæ est extra genus luxuriæ, v. g. ex liberiore potu, motus ille non est grave peccatum, licèt illa actio ex qua sequitur, ut voluntaria inebriatio, aliunde sit mortalis.

Ratio. Non est gravis obligatio vitandi omnes causas remotas, & per accidens tales, respectu alicujus effectus, vel actus prohibiti, nisi sit periculum consensus, præsertim si talis effectus non sequatur ex vi talis causæ: Sed impuri motus carnis, vel pollutio sequuntur in casu posito magis ex naturæ infirmitate, ac proclivitate, quam ex tali causa remota, v. g. liberiore potu. *Ergo.*

Not. quod de peccato veniali, nec Adversarii dubitant, adeòque consultissimum est, pro possibili vitare omnes causas etiam remotas motus libidinosi.

Oppono. Ad voluntarium interpretativum in causa sufficit, quod effectus prævideatur in causa, quam homo potest & tenetur vitare: Sed ebrietatem, v. g. homo tenetur vitare. Ergo motus venereus in ea prævisus fit interpretativè voluntarius.

Ad hoc dist. maj. In causa quam vitare tenetur, debito proveniente ex præcepto quo talis effectus prohibetur, *C. maj.* aliunde, *N. maj.* Sed tenetur vitare ebrietatem ex distincto præcepto, nim. sobrietatis, *C. min.* ex præcepto castitatis, *N. min.* & *conr.* ebrietas ergo vitanda est ex præcepto sobrietatis, præceptum verò castitatis causas remotas veneræ commotionis non prohibet. Ergo illa non fit interpretativè voluntaria.

LXIV. Ex hactenus dictis constat, an excusentur, aut, quam graviter peccent, qui legunt, cantant, vel audiunt impuras cantilenas. Qui legunt, vel legi audiunt libros amorum, vel gestorum lascivorum, *Ovidii*, *Martialis*, *Catulli*, *Tibulli*, &c. nisi sint purgati à locis incentivis ad libidinem. Qui aspiciunt, vel aspicere affectant secretiora fœminæ, vel viri, &c.

QUÆRO XXII. Peccatum habetne causam? Et quam?

Ante R. Not. de causa subjectiva peccati sufficienter actum esse in hoc *Exam. ad q.* 14. *n.* 41. Item, quod Deus non sit causa efficiens peccati, patet ex dictis circa q. 4. dum egimus de constitutivo peccati.

LXV. Peccatum habet causam, & quidem etiam per se, si sumatur pro materiali, seu pro actu: per accidens verò, si sumatur pro ipsa inordinatione, deformitate, seu carentia rectitudinis, quam suprà diximus esse formale peccati. S. Thom. hic q. 65. art. 1. in Corp. dicens: *Peccatum est quidem actus inordinatus, ex parte igitur actus potest habere per se causam, sicut & quilibet actus actus, ex parte autem inordinationis habet causam eo modo, quo negatio vel privatio potest habere causam.*

Declarat hoc subdens: Negationis alicujus potest duplex causa assignari. Primò quidem defectus causæ affirmationis, id est, ipsius causæ negatio est causa negationis secundum seipsam, ad remotionem enim causæ sequitur remotio effectus, sicut obscuritatis causa est absentia Solis. Alio modo causa affirmationis, ad quam sequitur negatio, est per accidens causa negationis consequentis: sicut ignis causando calorem ex principali intentione, consequenter causat privationem frigiditatis, quorum primum potest sufficere ad simplicem negationem. Sed cum inordinatio peccati, & quodlibet malum non sint simplex negatio, sed privatio ejus, quod aliquid natum est, & debet habere, necessè est, quod talis inordinatio habeat causam agentem per accidens. Quod enim natum est inesse & debet, numquam abesset, nisi propter causam aliquam impedientem. Et secundum hoc consuevit dici, quod malum, quod in quadam privatione consistit, habet causam deficientem, vel agentem per accidens: omnis autem causa per accidens reducitur ad causam per se. Cum igitur peccatum ex parte inordinationis habeat causam agentem per accidens, ex parte autem actus habeat causam agentem per se, sequitur quod inordinatio peccati consequatur ex ipsa causa actus. Hæc S. D. Vide supra in hoc Examine n. 26. ad 2. ubi inordinationem, aversionem, & carentiam distinxi in contrariam (quæ est formale peccati) & in privativam.

LXVI. Prima causa peccati non est Deus aliquis malus, uti fingebant Manichæi, statuentes duos Deos: unum summum bonum, à quo omnia bona, & unum malum, malorum omnium causam.

Ratio. Quia nulla datur natura per se mala, ut dictum est supra n. 24. Et certè talis Deus est merum figmentum estque hic error dudùm confutatus à S. Augustino.

LXVII. R. 3. Causa peccati est solùm nostrum liberum arbitrium, in eo sensu quem dat S. Thom. verbis adductis subdens: *Voluntas carens directione regulæ rationis, & legis divinæ intendens aliquod bonum commutabile, causat quidem actum peccati per se, sed inordinationem actus per accidens, & præter intentionem: provenit enim defectus ordinis in actu ex defectu directionis in voluntate.*

Prima pars patet ex S. Thoma adducto in hoc *Exam. q.* 15. *pro* 2. *part. R. n.* 44. Et *ratio utriusque partis est.* Tum quia peccatum, cum sit defectus, petit causam defectuosam, talis autem est nostra voluntas in sensu prædicto. Tum etiam, quia ut habet commune axioma, *nemo intendens malum, malum operatur*, sed semper intendit aliquod bonum, si non realiter, saltem apparenter tale. *Ergo* malum ut malum consequitur per accidens, seu præter intentionem peccantis.

Not. hoc etiam verum esse de eo, qui peccat ex certa malitia, nam & is non vult peccatum præcisè sub ratione mali, sed quatenùs in eo percipit aliquam delectationem, judicans legis transgressionem sibi ratione consuetudinis (quæ dicitur altera natura) esse suavem, per eamque jugum Dei quodammodo excuti, se quasi independentem esse, &c. & in hoc differt à peccante ex infirmitate, cujus judicio peccatum apparet esse bonum, non ut est transgressivum Legis, sed ut est satiativum passionis prædominantis, cui ex infirmitate succumbit. Idem verùm est de diabolo, nam & ille non vult peccatum sub ratione mali, & ut formaliter est injuria Dei, sed prout per illud sumit vindictam de Deo, in qua habet delectationem ut bonum apparens.

LXVIII. R. 4. Non solùm in peccato commissionis (de quo ante) sed & in peccato omissionis voluntas per se & directè est causa alicujus actus, ex quo omissio sequitur: ipsius autem omissionis ut peccaminosæ pariter est causa per accidens.

Constat tum à pari ex dictis, tum vel maxime ex illa difficultate, an omissio, ut sit voluntaria & moralis, necessariò requirat aliquem actum per se, & directè à voluntate volitum, v. g. lusum, ambulationem, &c. tamquam occasionem sui, & causam per accidens? Pro cujus decisione.

R. 5. Quamvis omissio, ut sit voluntaria, considerata secundum speciem, seu essentiam suam, & ut se habet per modum operis, seu potius non operis, non requirat actum sive interiorem, sive exteriorem sui in specie constitutivum; considerata tamen in individuo, seu in exercitio, & ex parte operantis, ut sit voluntaria, libera, & humana, necessariò, & indispensabiliter requirit actum concomitanter adjunctum velut sui causam & occasionem.

Hæc distinctio conciliat duo loca S. Thomæ, in quorum uno scil. 1. 2. q. 6. art. 3. docet voluntarium posse esse sine omni actu: in altero autem, nim. q. 71. art. 5. docet, voluntarium non posse esse absque omni actu.

Ratio 1. In intelligibile est quod negatio vel privatio pro suo specifico constitutivo petat aliquid positivum: quia egrederetur limites naturæ, vel essentiæ suæ nec maneret negatio.

Ratio 2. *p.* Nulla potentia potest ferri extra sphæram sui objecti, ut unanimiter docent Philosophi, & Theologi, & patet experientia, cum nec visus sonum, nec auditus percipere possit colorem: intelligitur autem de sphæra objecti adæquati, seu intensivi, & extensivi. *Subsumo*: Sed si voluntas posset voluntariè, & liberè omittere sine omni alio actu concomitante, directè volito, omissionem occasionante, tunc voluntas ferretur extra sphæram sui objecti adæquati. Ergo. *Min. prob.* Objectum adæquatum voluntatis est bonum, & finis: Sed voluntas nequit ferri in bonum, & finem nisi ratione alicujus actus. Ergo si feratur in aliquid sine actu, fertur extra objecti sui sphæram. *Min. prob.* Causalitas finis est appeti: Sed non datur appeti, sine appetere, quod est actus voluntatis. Ergo. *Min.* est vera. Et ergo nequit actus liber, auditio Missæ, suspendi seu omitti sine alio actu libero suspendente indeterminatè sumpto, quiscumque demum ille fuerit, v. g. actus ludendi, garriendi, bibendi, venandi, volendi, otiari, dormire, cogitationes aliò divertere, &c. qui actus sit à voluntate directè volitus, & ratione ejus, sive in illo, velut in causa aut occasione, sit indirectè volita omissio, v. g. Missæ.

Ex quo colligitur, hic solùm esse sermonem de voluntario indirecto, volito in alio (de quo supra). Certum enim est, quod voluntarium directum, cum à voluntate ut ab agente procedat, sine omni actu esse nequeat.

Oppono contra 2. p. R. 5. Libertas contradictionis (quæ etiam in voluntate nostra datur) versatur inter duos terminos, quorum unus est negativus, alter positivus, scil. agere & non agere, in quo differt à libertate contrarietatis, quæ versatur inter duo extrema opposita positiva: nim. inter bonum, & malum, amorem & odium. *Subsumo*: Sed si voluntas nostra non posset liberè omittere sine omni actu, sed tantum ratione alicujus actus, non habebit unum terminum negativum, sed semper utrumque positivum. Ergo.

Ad hoc dist. maj. Si prædicti termini considerentur formaliter & immediatè, *C. maj.* Si spectentur præsuppositivè, causaliter, vel occasionaliter, *N. maj.* & *dist. min. Neg. conseq.* Libertas ergo contradictionis specificatur à terminis formaliter & secundum essentiam ac speciem suam sumptis, & sic habet unum terminum positivum, & alterum negativum. Cum quo stat, quod ad hanc libertatem adæquatè exercendam requirantur duo termini positivi, unus secundum essentiam, alter occasionaliter: sicut è contra libertas contrarietatis essentialiter petit utrumque terminum positivum. Eodem modo solvitur illud quod solet opponi de differentia inter præcepta negativa & affirmativa. Vide supra quæst. 6. n. 31. an ille actus, si de se sit indifferens, vel ex objecto bonus: ex eo quod est causa omissionis culpabilis, fiat malus.

QUÆRO XXIII. Daturne causa interna, & externa peccati, & quæ est illa? An & diabolus, & quomodo?

LXIX. Resp. 1. Cum S. Thom. q. 65. art. 2. Intellectus & voluntas sunt causæ interiores actus peccati immediatæ, mediatæ verò interiores, sunt imaginatio, seu apprehensio, & appetitus sensitivus.

Declarat hoc S. D. Sicut dictum est, per se causam peccati oportet accipere ex parte ipsius actus, actus autem humani potest accipi causa interior, & mediata, & immediata. Immediata quidem causa humani actus est ratio, & voluntas, secundum quam homo est liber arbitrio, causa autem remota est apprehensio sensitivæ partis, & etiam appetitus sensitivus. Sicut enim ex judicio rationis voluntas movetur ad aliquid secundum rationem, ita etiam ex apprehensione sensus appetitus sensitivus in aliquid inclinatur, quæ quidem inclinatio interdum trahit voluntatem, & rationem. Sic hic igitur duplex causa peccati interior potest assignari, una proxima, ex parte rationis & voluntatis, alia verò remota ex parte imaginationis, vel appetitus sensitivi. Sed quia supra dictum est, quod causa peccati est aliquod bonum apparens, motivum cum defectu debiti motivi, scil. regulæ rationis, vel legis divinæ, ipsum motivum, quod est apparens bonum, pertinet ad apprehensionem sensus, & appetitum: ipsa autem absentia debitæ regulæ pertinet ad rationem, quæ nata est hujusmodi regulam considerare: sed ipsa perfectio voluntarii actus peccati pertinet ad voluntatem, ita quod ipse voluntatis actus præmissis suppositis jam est quoddam peccatum. Hæc *S. Th.*

Not. ex dicto Medina, quod intellectus, & voluntas non dicantur causæ immediatæ peccati, ex eo quod primò ad peccatum concurrant, sed dicuntur causæ peccati immediatæ, quoniam peccatum in illis immediatè consistit: peccatum enim non est, nisi voluntas liberè consentiat: estque ipsa sola causa peccati quoad exercitium, intellectus verò, sensus, appetitus solùm proponunt objectum pulchrum, & elegans; ac determinant quoad specificationem.

Resp. 2. Cum S. Th. *ibid.* art. 3. Potest aliquid alterius (ut homo, vel dæmon peccatum persuadens, & exteriora bona appetitum sensitivum moventia) esse causa peccati, non tamen ad peccandum sufficienter inducens.

Declarat hoc S. D. Sicut dictum est, causa interior peccati est Voluntas, ut perficiens actum peccati; & ratio, quantum ad carentiam debitæ regulæ, & appetitus sensitivus inclinans. Sic ergo aliquid intrinsecum tripliciter potest esse causa peccati, vel quia moveret immediatè ipsam voluntatem, vel quia moveret rationem, vel quia moveret appetitum sensitivum. Voluntatem autem interius movere non potest, nisi Deus, qui non potest esse causa peccati. Undè relinquitur, quod nihil exterius potest esse causa peccati, nisi vel in quantum movet rationem, sicut homo vel dæmon persuadens peccatum: vel sicut movens appetitum sensitivum, sicut aliqua sensibilia exteriora movent appetitum sensitivum. Sed neque persuasio exterior in rebus agendis ex necessitate movet rationem, neque etiam res exterius propositæ ex necessitate movent appetitum sensitivum, nisi fortè aliquo modo dispositum, & tamen etiam appetitus sensitivus non ex necessitate movet rationem, & voluntatem. Unde aliquid exterius potest esse aliqua causa movens ad peccandum, non tamen sufficienter inducens, sed causa sufficienter complens peccatum est sola voluntas. Ita S. D.

R. 3. Diabolus non potest directè, vel sufficienter homini esse causa peccandi, eum ad id necessitando. Ita S. D. quæst. 80. art. 1.

Ratio S. D. Quia diabolus eatenùs solùm potest esse causa peccati, quatenus appetibile aliquod sensui proponit, vel rationi persuadere nititur; nec potest liberam hominis voluntatem necessitare. Quia motio per modum suadentis, & objectum solum proponentis non tollit indifferentiam judicii, adeoque nec libertatem voluntatis.

R. 4. Diabolus potest inducere ad peccatum, hominem interius instigando, imaginarias quasdam formas offerendo; & in appetitu sensitivo passiones concitando, suadendo, argumentando, perorando, &c. Ita patet ex S. Th. q. 80. art. 2.

Ratio ibid. Natura corporalis spirituali naturaliter obedit, quoad motum localem. Ergo diabolus omnia illa causare potest, quæ ex motu locali corporum inferiorum provenire possunt, nisi virtute divina reprimatur. *Subsumo*: Sed quod aliquæ formæ repræsententur imaginationi, quod phantasmata turbentur, & moveantur, quod passiones (quibus homo affectus, & illectus judicat revera bonum quod non est, quia amans faciè persuasione inclinatur erga amatum) excitentur, hoc quandoque sequitur ad motum localem. Ergo. *Min. prob.* Philosophus *in lib. de Somniis, cap.* 3. *tract.* 2. docet: quod cum animal dormierit, descendente plurimo sanguine ad principium sensitivum, simul descendentes motus, sive impressiones relictæ ex sensibilium motionibus, quæ in sensibilibus speciebus conservantur, & movent principium apprehensivum, ita appareant, ac si tunc principium sensitivum à rebus ipsis exterioribus immutaretur. Ergo.

Ex his colliget Confessarius, quid judicare debeat de mulierculis asserentibus se miras immò divinas habere visiones, quæ ex dæmonum illusione causantur, & ex spirituum, humorumque commotione, dum vigilantes rem tam vehementer apprehendunt, ut videatur ipsis agi coram oculis: nec est impossibile, vigilantem pati idem, quod patitur somnians, ut constat in phreneticis.

Resp. 5. Diabolus nullo modo potest homini inducere necessitatem ad peccandum. Ita S. D. ib. art. 3.

Declarat hoc. Diabolus propria virtute, nisi refrænetur à Deo, potest aliquem inducere ex necessitate ad faciendum aliquem actum, qui de suo genere peccatum est, non autem potest inducere necessitatem peccandi. Quod patet ex hoc, quia homo motivo ad peccandum non resistit, nisi per rationem, cujus usum totaliter impedire potest, movendo imaginationem, & appetitum sensitivum, sicut in arreptitiis patet. Sed tunc ratione sic ligata, quidquid homo agat, non imputatur ei ad peccatum: Sed si ratio non sit totaliter ligata, ex ea parte qua est libera, potest resistere peccato. Ita S. D. Ergo.

LXX. *Fiuntne* omnia hominum peccata ex suggestione diaboli?

Dico ex S. Th. ibid. art. 4. Est quidem dæmon occasio omnium peccatorum, cùm primum hominem ad peccatum induxit, undè tota infecta est humana natura, & proclivis ad peccandum facta, non tamen singula peccata ex illius suggestione fiunt.

Ratio S. D. sumitur ex Origene. Quia, etsi diabolus non esset, homines haberent appetitum ciborum, & venereorum & similium, qui posset esse inordinatus, nisi ratione ordinetur; quod subjacet libero arbitrio.

Estne diabolo liberum nos tentare, & ad malum instigare?

LXXI. *Affirm. Ratio.* Etsi dæmon habeat arbitrium inflexibile, & immutabile in malo, seu animum obstinatum in aversione ab ultimo fine; circa media tamen (quæ ipse ex sua malitia in Dei offensam ordinat) liberè se habet. *Ergo* potest tentare, & non tentare, potest hoc vel illo modo. Simile est in Angelis beatis, hi enim etsi non sint liberi in amore Dei, benè tamen in exequendis iis, quæ Deus eis mandat, v. g. in custodia hominum.

QUÆRO XXIV. Ante omne peccatum præcedine, saltem in aliquo priori naturæ, in intellectu aliquis defectus, error practicus, ignorantia, inadvertentia, seu inconsideratio? Item ignorantia, & passio suntne causa peccati, vel excusant?

LXXII. Resp. 1. ad 1. p. affirmative cum S. Th. *hic q.* 77. *art.* 2. *in corp.* Unde & Greg. M. *l.* 15. *Mor. c.* 23. ait: *Omnis peccator stultus fuit in culpa.*

Ratio. Voluntas est potentia cæca, sequens in omnibus ductum rationis. Ergo non fertur in objectum, nisi prout ab intellectu propositum, sive proponat malum sub ratione boni, illud aliqua boni apparentia vestiendo, sive bonum sub ratione mali fugiendo.

Nonne multi peccant cum actuali remorsu conscientiæ: scientes malum, & exultantes in rebus pessimis? Quomodò in eorum intellectu est defectus vel error?

Dico. Scientia illa mali non est practica, & in actu exercito, sed speculativa tantum; & in habitu. Undè in praxi omnis peccator est imprudens, & stultus.

Ex hoc solvitur illud quod opponi potest, nimirum ex hac sententia sequi, omne peccatum esse hæresim. Quia judicare esse licitum quod est illicitum, est hæreticum. Non enim hoc sequitur: Esset quidem hæresis, si speculativè sic judicaretur, peccator vero hoc judicium solùm habet practicè, quod non sufficit: Vide *Tract.* 3. *Exam.* 1. *q.* 3. *n.* 7. *in R. ad* 1. *oppos.*

Difficultas hic se offert, quomodo in hac sententia possit salvari differentia inter peccata ex ignorantia, infirmitate, & malitia: eo quod juxta hanc sententiam unica omnium illorum causa esset ignorantia, error, & inadvertentia intellectus?

Salvatur ergo differentia per hoc, quod licèt omni peccato commune sit, quòd fiat ex prævio errore practico intellectus, est tamen discrimen propter diversam dispositionem pravam, quæ est causa formandi judicium erroneum in intellectu, & pravam electionem in voluntate. Diversitas autem hujus pravæ dispositionis consistit in hoc, quod in peccato ex ignorantia facto causa formandi tale judicium sit ignorantia vincibilis, & culpabilis. In peccato ex infirmitate, vel passione sit vehemens passio intellectum obscurans, & voluntatem post se trahens. Tandem in peccato ex certa malitia sit sola voluntatis inordinatio & malitia. Vide *in hoc Exam. n.* 21.

Opponi hic posset, quomodo in intellectu Angeli ante primum ejus peccatum potuerit præcedere defectus, vel in consideratio. Sed hoc vide *in* 1. *p. in Tract.* de Angelis circa finem.

Resp. 2. ad quæst. 24. An & quando ignorantia & concupiscentia, seu passio sit, excuset, vel diminuat peccatum, colligi sufficienter potest ex dictis *Tract.* 3. *Exam.* 1. *n.* 21. 22. & 23. ubi explicatæ sunt quatuor causæ involuntarii, inter quas sunt ignorantia, & concupiscentia, seu passio. *Quia* verò *omne peccatum est voluntarium, in tantum ignorantia* (idem est de passione) *potest diminuere peccatum, in quantum diminuit voluntarium*, ut ait *S. D. hic quæst.* 76. *art.* 4. ubi de hoc tractat.

LXXIII. *Dic mihi*: Si quis faceret opus sub mortali prohibitum, quod tamen ratione invincibilis ignorantiæ à culpa excusatur, qualis fuit accessus Jacob ad Liam, & si quis plenè ebrius committeret homicidium, vel adulterium, delectatio morosa de tali opere esset ne peccatum mortale sublata ignorantia?

Affirmo, probabilius. *Ratio.* Tota causa, quare tale opus non fuerit peccatum, est quia non fuit voluntarium, & hoc ratione ignorantiæ: Sed si quis, sublata ignorantia, in eo opere sibi complaceat, tunc fit voluntarium. Ergo talis complacentia erit mortalis. *Min. pat.* à pari. Quia communiter docent Theologi, quod etiam morbi, & alii defectus naturales, qui non sunt in nostra potestate, possint nobis esse voluntarii propter liberam, & patientem ipsorum sufferentiam. Ergo similiter.

Ex quo sequitur, quod si Jacob fuisset delectatus de accessu ad Liam, aut ebrius de homicidio, vel adul-

adulterio à se patrato, uterque mort. peccasset: licèt utriusque opus ratione ignorantiæ antea fuerit sine culpa. Vide supra *de morosa delectatione*.

QUÆRO XXV. Quid sunt, & in quo differunt peccatum mort. & veniale? Quæ sunt signa, vel regulæ unum ab altero distinguendi? Potestne unum fieri alterum?

LXXIV. *Ad 1. & 2. partem* Quæsiti patet R. supra *in hoc Exam. n.* 21. Unde ad tertiam Quæsiti partem R. tres communiter tradi regulas ad distinguendum mortale à veniali.

Prima est. Si sacræ litteræ tradant tale, vel tale esse Deo execrandum, abominabile, esse dignum æterna morte, excludere à Regno Dei, ut patet ad *Gal.* 5. vel cui comminatur *Væ!* Judicandum est esse mortale. *Secunda regula.* Est Traditio Ecclesiæ, communis PP. & fidelium consensus, ex quo colligimus, quod violatio jejunii, seu bina refectio in die prohibito sit peccatum mortale: refectio verò cœpta paulò ante meridiem sit solùm veniale. *Tertia est.* Ratio naturalis ita esse dictans, saltem lumine supernaturali illustrata. Quæ enim directè, & graviter charitatem Dei, & proximi lædunt, censenda sunt mortalia, quæ leviter, venialia. Hæc enim ratione judicamus unam ægritudinem, aut injuriam esse altera majorem.

Not. attendendam etiam esse quantitatem deliberationis, materiæ, aut damni illati, uti & genus peccati, tenorem verborum præcepti, an prohibitio fiat sub gravi vel levi pœna, &c. Unde aliqui DD. benè dicunt, peccatum mortale non posse à quoquam committi sine grandi corruptione sui, aut contemptu Dei, vel gravi læsione proximi, & consensum in illud esse tam impium, ut celari, vel ignorari non possit. Hinc Confessor non præcipitet se in judicando aliquid esse mortale. Consideret etiam an peccatorem non statim facti pœnituerit: hoc enim probabile signum est, non consensisse.

R. 2. Venialia indirectè, & per accidens disponunt ad mortale. Hoc S. Thom. *hic q.* 88. *art.* probat ex illo Eccl. 19. *Qui spernit minima, paulatim defluit.* Subsumit; Sed ille qui peccat venialiter, videtur minima spernere. Ergo paulatim disponitur ad hoc ut totaliter defluat per mortale.

Not. hanc dispositionem fieri per hoc quod venialia generent vitiosam assuetudinem, minuant fervorem charitatis, & divinorum auxiliorum abundantiam, ac vires ad vincendas tentationes, faciant difficultates in observantia mandatorum Dei, &c.

Resp. 3. Idem numerò actus physicus potest primò esse peccatum veniale, & postea mortale.

Ratio. Idem actus voluntatis ob deliberationem imperfectam primo potest esse venialis, si verò accedat advertentia perfecta, fit mortalis: puta, in materia graviter repugnante Legi, &c.

Resp. 4. Peccatum mortale ex genere potest fieri veniale ex accidente tribus modis. 1. Ex subreptione, seu propter defectum deliberationis, v. g. ira ex genere suo est mortalis, at si sit ex subito motu est venialis. 2. Defectu judicii sufficientis ad mortale, ut contingere potest in semidormientibus, & crapulatis. 3. Ob parvitatem rei, seu materiæ, v. g. furtum ex genere suo est mortale; furari autem solùm duo aut tres denarios, est veniale.

Not. dari aliqua peccata, in quibus non datur levitas materiæ, seu quæ non possunt esse venialia defectu materiæ, licèt possint esse talia ex alio capite, v. g. ex defectu sufficientis deliberationis, & advertentiæ. Talia sunt blasphemia, perjurium, luxuria, &c.

LXXV. Resp. 5. Peccatum veniale ex genere potest fieri mortale ex accidenti quinque modis. 1. Si in peccato veniali constituatur ultimus finis. 2. Si quis veniale ordinaret ad mortale, v. g. verbum otiosum ad fornicandum. 3. Ex conscientia erronea dictante esse mortale. 4. Ex contemptu. 5. Dispositivè, ut dictum est in R. 2. & hoc ratione periculi, quod qui amat, peribit in illo.

Resp. 6. Peccatum veniale in suo genere, seu specie non potest ita aggravari, ut fiat mortale, aut æquivaleat illi: nec ex plurimis venialibus potest umquam fieri, integrari, seu constari unum mortale. Ita S. D. hic art. 4.

Ratio 1. p. Ea quæ sunt ordinis inferioris, quantumcumque intra propriam speciem aggraventur, vel augeantur, numquam possunt pertingere ad ea, quæ sunt ordinis superioris. Sed malitia peccati venialis est ordinis inferioris, & diversæ speciei à malitia peccati mortalis, cum hæc sit aversiva ab ultimo fine. Ergo.

Ratio. 2. p. Peccatum mortale privat gratia, & charitate, occidit animam, avertit ab ultimo fine, inducit reatum pœnæ æternæ, damni, & sensus: Sed hoc non potest convenire venialibus quantumcumque multiplicatis, nisi dispositivè (quod jam admissum est) qualiter explicari debent SS. PP. si videantur esse contrarii. Ergo.

Oppono. Plura furta levia multiplicata, & simul sumpta juxta Thomistas faciunt unum mortale. Ergo.

Dist. ant. ratione sui, N. ratione notabilis quantitatis materiæ & damni, C. Ultimum ergo furtum, quo pervenitur ad magnam quantitatem materiæ, est peccatum mortale. Licèt enim tale furtum sit rei levis secundum se, ex connotatione tamen furtorum præcedentium, cum quibus moraliter unitur, & quæ fur cognoscit, & advertit, fit furtum rei gravis, & in virtute eorum proximo infertur grave damnum. Vide infra *Tract. 9. Exam. 3. n.* 35.

QUÆRO XXVI. Potestne assignare aliqua peccata venialia?

LXXVI. Ratio hujus Quæsiti, est lamentabilis illa experientia, qua docemur, quod diversi, qui de modico non curant cum Prætore, quos non terret luxuria, nisi sit adulterium, vel incestus; non injuria, nisi homicidium; non vaniloquium, nisi adjunctum habeat perjurium, aut blasphemiam; non crapula, nisi sit ad vomitum; quibus inculpatus est strepitus, qui ingurgitati, ac obruti vix pedibus stare possunt, capita à pariete ad parietem alliduntur, &c. Pro quorum instructione

Resp. Cum S. Augustino, cujus hæc sunt verba de decem chordis c. 11. ubi loquitur de quotidianis, seu venialibus peccatis, quæ per linguam committuntur. Verbum durum, aut cum labitur aliquis in risum immoderatum, aut in hujusmodi nugas quotidianas, &c. his adduntur ab eodem. Si vir cum propria uxore coeat voluptatis explendæ causa, & plus quam necessitas procreandorum liberorum eogat. In ipsis etiam alimentis, quæ utique concessa sunt, si fortè excedis modum, & amplius accipis, quam necesse est, peccas. Quotidiana sunt ista, ait, quæ dico: sed tamen peccata sunt.

Idem *in Serm. 4. de an. fidel. defectorum*: Quæ autem, inquit, sint minuta peccata, licèt omnibus nota sint tamen quia longum est, ut omnia replicentur, opus est, ut ex eis aliqua nominemus. Quoties aliquis in cibo aut potu plus accipit quam necesse sit, ad minuta peccata noverit pertinere: quoties plus loquitur quam oportet, aut plus tacet quam expedit. Quoties pauperem importunè petentem exasperat. Quoties cum corpore sit sanus, aliis jejunantibus prandere voluerit, aut somno deditus ad Ecclesiam tardius surgit. Quoties, excepto desiderio filiorum, uxorem suam cognoverit. Quoties in carcere clausos, & in vinculis positos tardiùs requisiverit, infirmos tardiùs visitaverit. Si discordes ad concordiam revocare neglexerit. Si plus aut proximum, aut uxorem, aut filium, aut servum exacerbaverit, quam oportet. Si amplius fuerit blanditus, quam expedit. Si cuicumque majori personæ, aut ex voluntate, aut necessitate adulari voluerit. Si pauperibus esurientibus cibum non dederit, aut nimium delitiosa, aut sumptuosa sibi convivia præparavit. Si se in Ecclesia, aut extra Ecclesiam fabulis otiosis, de quibus in die judicii ratio reddenda est, occupaverit. Si, dum

dum incautè juramus, & hoc per aliquam necessitatem impiere non poterimus, utique perjuramus. Et cum omni facilitate, vel temeritate maledicimus, & cum aliquid suspicamur temerè, quod tamen plerumque non ita, ut credimus, probatur, delinquimus. Hæc & similia his ad minuta peccata pertinere non dubium est, quæ sicut jam dixi, enumerari vix possunt, & à quibus non solùm populus Christianus, sed etiam nullus Sanctorum immunis esse potuit aliquando, aut poterit. Hæc August.

LXXVII. Quæri hic posset, an peccatum veniale in aliquo homine possit esse cum solo originali? Sed hujus negativa decisio dependet ex alia difficultate (infra *Tract. 7. Exam. 2. n.* 30. *&* 31.) affirmativè decidenda, an nim. puer sub mortali teneatur in primo instanti usus rationis se convertere in Deum? Si se convertat, accipit gratiam, qua à peccato, si in aliquo etiam originali sit, mundatur. Si se non convertat, peccat mortaliter, & consequenter peccatum veniale non erit mortale actuale cum originali. Pro conclusione hujus Tractatus

QUÆRO XXVII. & ultimò: Quinam sunt effectus peccati?

LXXVIII. Resp. effectus peccati, præsertim originalis sunt: 1. Diminutio boni naturæ. 2. Quatuor vulnera animæ. 3. Mors, & alii defectus corporales. 4. Reatus pœnæ. Ita S. D. q. 85. &. 87.

Prima pars declaratur ex *S. Thom. q.* 85. *art.* 1. Inter naturæ bona aliud (utpotè originalis justitia) in totum sublatum est per peccatum: aliud (cujusmodi sunt principia naturæ, ex quibus ipsa natura constituitur, & proprietates ex his causatæ, ut sunt potentiæ animæ, & his similia) nec sublatum est, nec diminutum per peccatum: aliud denique (cujusmodi est ipsa naturalis inclinatio ad virtutem) sublatum quidem non est, valdè tamen diminutum per peccatum. Quia per actus humanos fit quædam inclinatio ad similes actus: Sed ex inclinatione in unum contrarium diminuitur inclinatio ad aliud, peccatum autem est contrarium virtuti. Ergo.

Not. hanc diminutionem non fieri sic, quasi reipsa tollatur aliquid naturale, vel proprietas naturæ humanæ, quia hæc cum suis proprietatibus est incorruptibilis, & naturalia manent integra in se post peccatum, sed solùm fit per modum impedimenti, & obstaculi; quia per peccatum homo elongatur à Deo in regionem dissimilitudinis, & peccata dividunt inter nos, & Deum. Sicut si Solem inter, & aerem ponatur obstaculum, aer fit inhabilis ad recipiendam lucem, & quo plura obstacula ponuntur, eo inhabilior efficitur.

Secunda pars declaratur ex art. 3. Quatuor sunt potentiæ animæ, quæ, ut virtutum, ita & vitiorum subjecta esse possunt, pro quarum debito ordine per peccatum destituturum (quæ destitutio vulneratio naturæ dicitur) numerò quatuor naturæ vulnera (ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, infirmitas in irascibili, & concupiscentia in concupiscibili) convenienter enumerantur. Sunt ergo hæc quatuor vulnera ex peccatis, etiam actualibus, consequentia, in quantum per peccatum, & ratio hebetatur: præcipuè in agendis, & voluntas induratur ad bonum, & major difficultas benè agendi accrescit, & concupiscentia magis exardescit.

Tertia pars ex art. 5. Mors, ceterique in humana natura corporales defectus (cum sint præter intentionem peccantis) per se effectus peccati primi Parentis dici nequeunt, sed per accidens tantum, prout removens prohibens causæ nomen sortitur, quia scil. per peccatum primi Parentis sublata originali justitia, quæ omnem deordinationem, & defectum prohibeat. Ea ergo per peccatum primi Parentis subtracta, sicut humana natura quoad animam fuit vulnerata per deordinationem potentiarum, ut antè dictum est, ita etiam est corruptibilis effecta per deordinationem ipsius corporis. Et hinc illi defectus corporales.

Quarta pars declaratur ex *S. Th. hic q.* 78. *art.* 1. Ex rebus naturalibus ad res humanas derivatur, ut id quod contra aliquid insurgit, ab eo detrimentum patiatur; videmus enim in rebus naturalibus, quod unum contrarium vehementius agit altero contrario superveniente, propter quod aquæ calefactæ magis congelantur, ut dicitur, in 2. Meteor. Unde in hominibus hoc ex naturali inclinatione invenitur, ut unusquisque deprimat eum, qui contra ipsum insurgit. Sed homo peccando maximè insurgit contra Deum, cum agat contra ordinem rationis, legisque humanæ, & divinæ. Ergo meritò deprimitur à Deo, hæc autem depressio est pœna.

LXXIX. *Danturne* peccata æternæ pœnæ reatum inducentia?

Affirmo cum S. Thom. q. 87. art. 3. de peccatis charitatem tollentibus, uti sunt mortalia.

Ratio S. D. Manente causa manet effectus, necessariò ab ea dependens: Sed in iis qui moriuntur in impœnitentia finali, seu in peccato mortali manet in æternum causa pœnæ nim. culpa, non quidem quoad actum, sed quoad maculam. Ergo.

LXXX. *Debeturne* peccato mortali pœna infinita secundum quantitatem?

Dico cum *S. Thom. q. cit. art.* 4. Sicut peccatum ex parte aversionis ab infinito bono infinitum est, finitum autem ex parte conversionis ad bonum creatum, & commutabile: sic & pœna peccato correspondens, partim finita, partim infinita dici debet.

Declarat hoc S. Thom. Pœna proportionatur peccato, in peccato autem duo sunt, quorum unum est aversio ab incommutabili bono, quod est infinitum: unde ex hac parte peccatum est infinitum. Aliud, quod est in peccato, est inordinata conversio ad commutabile bonum, & ex hac parte peccatum est finitum, tum quia ipsum bonum commutabile est finitum, tum etiam quia ipsa conversio est finita: non enim possunt actus creaturæ esse infiniti. Ex parte igitur aversionis respondet peccato pœna damni, quæ etiam est infinita: est enim amissio infiniti boni, scil. Dei. Ex parte autem inordinatæ conversionis respondet ei pœna sensus, quæ est finita.

Peccatum veniale in hac vita nondum remissum homini, qui in eo simul, & in mortali moritur, poniturne in inferno pœna æterna saltem per accidens, & concomitanter?

LXXXI. *Affirmo* cum *S. Th. hic q.* 87. *art.* 5. *ad* 3. dicente; *Æternitas pœnæ non respondet quantitati culpæ; sed irremissibilitati ipsius.* Subsumo: Sed culpa venialis in inferno non est remissibilis. Ergo. *Min.* patet. Quia nullum, etiam veniale peccatum de lege Dei ordinaria remittitur, nisi formaliter per actum pœnitentiæ, vel virtualiter, nim. per actum charitatis, sit retractatum: Sed hæc retractatio non potest fieri in inferno, quia damnati sunt perpetuò obstinati in malo, denegaturque eis omne supernaturale auxilium. Ergo, Vide *in Tract. 13. de Pœnit. Exam. 2. n.* 29.

Confirm. Tamdiu non exsolvitur pœna, quamdiu non remittitur culpa, ad quam necessariò sequitur, quia, ut ante dictum, manente causa manet effectus: Sed in inferno culpa venialis per accidens, & concomitanter (non per se, seu ex natura sua) fit irremissibilis, nim. propter conjunctionem cum mortali irremissibili. Ergo etiam per accidens nim. ratione adjuncti peccati mortalis punitur æterna pœna.

LXXXII. *Sed quid* si peccatum veniale in hac vita quidem sit remissum, sed homo moritur, pœna temporali ei respondente nondum exsoluta, puniturne in inferno pœna temporali, vel æterna, si simul in mortali homo decedat?

Dico, quod temporali. Ita *S. Thom.* Tum *l. c.* ubi æternitatem pœnæ attribuit non quantitati culpæ, sed irremissibilitati ejus, talis autem culpa venialis jam est remissa. Ergo ejus pœna nec per acci-

cidens fit æterna. Tum etiam in 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 5. ubi rejecta opposita opinione, dicit: *Ideo alii dicunt, quod pœna, cujus aliquis est debitor, post culpam remissam in inferno punitur temporaliter. Nec propter hoc sequitur, quod in inferno sit redemptio: quia pœna, quæ solvitur, non redimitur. Nec est inconveniens, quod quantum ad aliquid accidentale pœna inferni minuatur usque ad diem judicii; sicut etiam augetur*, nim. ex consortio damnatorum.

Ratio. Si Deus pœnam temporalem culpæ jam remissæ debitam mutaret in æternam, etiam per accidens, puniret ultra condignum, quia non est condignitas culpæ ad pœnam: Sed hoc non debet dici de Clementissimo Deo, cui proprium est misereri semper, & parcere. Ergo.

Ex dictis patet differentia inter hunc, & priorem casum, in hoc enim culpa jam est dimissa, in illo non.

LXXXIII. *Possetne Deus* per absolutam suam potentiam, tamquam Dominus vitæ, & mortis, aliquem innocentem punire pœna æterna inferni, vel gehennæ? Beatos è Cælo in infernum deturbare, damnatos in Cælum evehere?

Dico 1. Potest Deus per absolutam suam potentiam innocentem, immò, & beatum è Cælo deturbare in gehennam ignis. 2. Hæc tamen non esset propriè pœna; seu punitio, aut damnatio, nec innocens ille diceretur propriè damnatus.

Ratio 1. *p.* Tum quia Deus est absolutus Dominus vitæ & mortis. Tum etiam quia Deus absolutè, juxta omnes, potest innocentem, & beatum annihilare. Ergo similiter. Dixi *absolutè*, quia ex suppositione decreti de innocente præmiando, & beato in Cæli gaudiis conservando numquam fiet.

Ratio 2. *p.* Ubi non est culpa, non est propriè damnatio, vel punitio. Et certè à ratione, à justitia, & infinita Dei misericordia alienum est, innocentem punire, vel maximè gravissimis, & æternis inferni tormentis.

Ex quo sequitur, quod flagella hujus vitæ innocentibus inflicta propriè non sunt pœnæ, sed medicinæ.

Dico 2. Potest Deus reprobos, ac damnatos per potentiam suam absolutam, in Cælum evehere.

Ratio. Quia absolutè potest Deus peccatum eis remittere; in hoc enim nulla apparet implicantia.

LXXXIV. *Decedentes* cum solo Originali, ut pueri non baptizati, puniunturne sola pœna damni, consistente in carentia visionis beatificæ, absque omni pœna sensus, quæ est afflictiva?

Affirmo cum Angelico Doctore 3. p. q. 1. art. 4. ad 2. dicente: *Peccato Originali in futura retributione non debetur pœna sensus.*

Ratio. Quia pœna debet proportionari culpæ: Sed culpæ originali non proportionatur pœna sensus. Ergo *Min. prob.* Pœna sensus culpæ proportionatur ratione inordinatæ conversionis ad bonum commutabile: Sed hæc non datur in pueris usu rationis carentibus, benè tamen aversio. Ergo.

Hinc, dum *S. Augst.* & alii, pœnam parvulorum vocant ignem, gehennam, tormenta, &c. nihil aliud volunt significare (ut explicat S. Th.) quam divinæ gloriæ privationem, quam per excessum, & hyperbolicè tam duris vocabulis significarunt, ut magis execrabilem efficerent errorem Pelagianorum asserentium, nullum in parvulis esse peccatum.

LXXXV. *Qua ergo sententia* condemnabuntur parvuli? Nonne illa, *Ite maledicti in ignem æternum*? &c. Vel in quo loco pro pœna ponentur, quia non datur locus medius pro ipsis, quia Judex dicit: Ibunt isti in combustionem justi; vero in vitam æternam?

Dico 1. Certùm est, quod parvuli non baptizati comparebunt in judicio, quia Apoc. 1. *Veniet, & videbit eum omnis oculus*, condemnabuntur autem illa mitiori sententia: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum, &c.*

Dico 2. Verissimum est, quod illorum parvulorum animæ detineantur in Limbo subtus terram, ubi tamen nulla afficientur tristitia; tum quia ille locus non est eis datus in pœnam, sed quia illis melior non debetur: sicut & Patres inibi erant ante adventum: tum quia ex illo loco non impediuntur à suis intellectualibus operationibus, ait Medina noster, ex quo adde, quod sciant se numquam habuisse per gratiam jus ad gloriam, & pœnam hanc esse justissimam, nullo proprio demerito inductam, adeoque omnem displicentiam esse inutilem. Hinc patienter sustinent, & ab omni interiori tristitia abstinent.

Quid si homo mansisset in puris naturalibus, carentia divinæ visionis essetne tunc pœna?

Dico, quod non. Sed illa exclusio à gloria esset mera negatio, & defectus naturalis. *Ratio.* Quia in eo statu homo non fuisset elevatus ad finem, seu fœlicitatem supernaturalem. Vid. in suppl. 3. p. q. 69. art. 4. 5. 6. & 7. ubi & quid sit Limbus Patrum, & puerorum.

TRACTATUS V.

De vitiis Capitalibus in genere, & in specie.

De quibus in communi agit S. D. hic, nimirùm in 1. 2. quæst. 84. art. 4. in specie verò diversis in locis suæ Summæ citandis in decursu hujus Tractatus, qui huc revocatur, & præcedenti annectitur, connexionis, & majoris claritatis gratia.

PRoloquium huic Tractatui præfigo ex verbis Angel. Doct. cit. q. 84. art. 3. in corp. sic discurrentis: Capitale dicitur à Capite, Caput autem propriè quidem est quoddam membrum animalis, quod est principium, & directivum totius animalis. Unde metaphoricè omne principium directivum Caput vocatur, & etiam homines, qui alios dirigunt, & gubernant Capita aliorum esse dicuntur. Dicitur ergo vitium Capitale, uno modo à Capite propriè dicto, & secundum hoc peccatum Capitale dicitur peccatum, quod Capitis pœna punitur, sed sic non intendimus agere de Capitalibus peccatis, sed secundum quod alio modo dicitur peccatum Capitale, prout metaphoricè signat principium, vel directivum aliorum, & sic dicitur vitium Capitale, ex quo alia vitia oriuntur: & præcipuè secundum principium causæ finalis quæ est formalis origo: & ideo vitium Capitale non solum est principium aliorum, sed etiam est directivum, & quodammodo ductivum aliorum. Semper enim ars, vel habitus, ad quem pertinet finis, principatur, & imperat circa ea, quæ sunt ad finem. Unde Greg. 31. moral. hujusmodi vitia Capitalia Ducibus exercituum comparat. Hæc S. Thomas.

EXA-

EXAMEN I.

De Vitiis Capitalibus in genere, & in specie de Superbia.

QUÆRO I. Estne hæc doctrina Confessario scitu necessaria?

I. Resp. affirm. *Ratio.* Quia Confessarii munus est, rationalem Dei imaginem per peccata deformatam, reformare per opera pœnitentiæ: reformatio autem ut debitè fiat in membris, necessè est, ut primo fiat in Capite, velut cæterorum Principe; *accessorium* enim *sequitur suum principale*; sunt autem quædam vitia cæterorum Capita, & fontes. Ergo. Et consequenter Confessor gratis reformabit sine hac doctrina, quia *ignoti nulla cupido.*

Declaratur ulterius à simili ex pugna corporali: Prostrato Goliatho, è vestigio omnes Philisthæi se in fugam dederunt. Cur? Quia erat eorum Caput. Truncato Holoferne, fuga se salvarunt Assyrii. Cur? Quia exercitus erat decapitatus. Rex Syriæ contra Israelitas bellaturus militibus suis præcepit, ut in neminem nisi in solum Regem arma converterent, illum unicè impeterent tamquam Caput belli, quo præciso non fore dubitandum de victoria. Ergo similiter in pugna spirituali; cum unus animæ hostis sit alio ferocior, unum vitium cæterorum Caput, & Dux, in hunc Ducem est primò collimandum, arma vertenda; hoc Caput maximè impetendum est. Considerandum, quæ passio in animum nostrum maximè prædominetur, quo vitio maximè exorbitemus, quæ prava consuetudo altissimas in nobis radices egerit, & ibi reformatio animæ exordienda est; accessorium sequitur suum principale.

QUÆRO II. Quid & quot sunt vitia, seu peccata Capitalia?

II. Resp. cum S. D. *l. c.* Vitia Capitalia dicuntur, quia ex iis velut ex Capitibus, seu fontibus plura alia derivantur, seu oriuntur, ut ex Prologo patet. Hæc paritas sumitur à Capite naturali, quod in cætera corporis membra influit vitam, motum, vigorem, &c. Sunt autem septem, memoriæ causa comprehensa hac dictione *Saligia*, sic ut cuivis litteræ hujus dictionis secundum ordinem correspondeat unum vitium Capitale, v. g. *S.* Superbia. *A.* Avaritia. *L.* Luxuria. *I.* Invidia. *G.* Gula. *I.* Ira. *A.* Acedia. Ex his aliqua dicuntur carnalia, nimirùm luxuria, & gula: alia spiritualia, nim. cætera quinque. Quæ distinctio est explicata supra *Tr.* 4. *Exam.* 2. *n.* 21.

Estne idem, peccatum Capitale, ac peccatum mortale?

Non est; ut ex dictis patet. *Ratio.* Peccatum Capitale dicitur, quod est Caput, fons, aut radix aliorum: sed hoc non dicitur de quovis mortali. Unde nec omnia Capitalia semper sunt mortalia, nec è contra mortalia semper Capitalia: interdum Capitale simul est mortale, ut ex dicendis constabit. Agendum nunc de quovis vitio Capitali in specie.

Superbia.

De qua S. Thom. agit 2. 2. q. 162. *per* 8. *art.* & alibi. *Magna miseria superbus homo*, ait S. Aug. *Superbia Nabuchodonosorem bestiam, Angelum fecit Diabolum.* Si, ut supra ex Greg. M. dictum est, *omnis peccator stultus est in culpa*, id maximè verum est de superbo, qui se putat aliquid esse cum nihil sit. Unde apud Germanos est proverbium: *Stultus und stolt machsem auf einem solt.* De quo

QUÆRO III. Superbia estne peccatum, & quidem speciale? Et quid est?

III. Resp. 1. *Superbia* est peccatum. *Ratio.* S. D. l. c. art. 1. dicentis: Superbia nominatur ex hoc, quod aliquis per voluntatem tendit supra id, quod est. *Unde* dicit *Isidorus*: Superbus dictus est, quia super vult videri, quam est; qui enim vult supergredi quod est, superbus est. Habet autem hoc ratio recta; ut voluntas uniuscujusque feratur in id, quod est proportionatum sibi: & ideo manifestum est, quod superbia importat aliquid, quod adversatur rationi rectæ; hoc autem facit rationem peccati: quia secundum Dionys. malum animæ est præter rationem esse. Ita S. D. Ex quo patet, quod superbire sit super se ire.

Resp. 2. *Superbia* benè definitur à S. Th. cit. art. 2. quod sit *inordinatus appetitus propriæ excellentiæ.* Vel ut S. Aug. art. 1. ad 2. à S. Th. citatus loquitur, *est perversæ celsitudinis appetitus*, quia perversè imitatur Deum, odit namque cum sociis æqualitatem sub illo, sed imponere vult sociis dominationem suam pro illo, ait *ibid.* Inordinatio hujus appetitus patet ex dictis pro R. 1.

Resp. 3. *Superbia* in diverso sensu est peccatum speciale, ac generale sive capitale.

Declarat hoc S. D. art. 2. dicens: Peccatum superbiæ potest dupliciter considerari. Uno modo secundum propriam speciem, quam habet ex ratione proprii objecti. Et hoc modo superbia est speciale peccatum, est enim inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, ut dictum est. Alio modo potest considerari secundum redundantiam quamdam in alia peccata, & secundum hoc habet quamdam generalitatem; in quantum scilicèt ex superbia oriri possunt omnia peccata duplici ratione. Uno modo per se; in quantum scilicet alia peccata ordinantur ad finem superbiæ, qui est propria excellentia, ad quam potest ordinari omne id, quod quis inordinatè appetit: alio modo indirectè, & quasi per accidens, scil. removendo prohibens, in quantum scilicèt homo per superbiam contemnit divinam legem, per quam prohibetur à peccando, secundum illud Jer. 2. *Confregisti jugum, rupisti vincula; dixisti: Non serviam.* Hæc S. Doctor.

Sensus horum verborum non est, quod omnia peccata semper actu oriantur ex superbia, sed aptitudine. Unde subdit: Sciendum tamen, quod ad hanc generalitatem superbiæ pertinet, quod omnia vitia interdum ex superbia oriri possint; non autem ad eam pertinet, quod omnia vitia semper ex superbia oriantur. Quamvis enim omnia præcepta legis possit quis transgredi qualicumque peccato ex contemptu, qui pertinet ad superbiam, non tamen semper ex contemptu aliquis præcepta divina transgreditur, sed quandoque ex ignorantia, quandoque ex infirmitate. Et inde S. Aug. dicit: *Multa perperam fiunt, quæ tamen non fiunt superbè.*

Paulò aliter, & eleganter S. D. hoc explicat *ib. ad* 2. dicens: Quandoque aliquis committit aliquod peccatum secundum effectum, sed non secundum affectum. Sicut ille, qui ignoranter occidit Patrem, committit parricidium secundum effectum, sed non secundum affectum, quia hoc non intendebat. Et secundum hoc transgredi præceptum Dei, dicitur esse contra Deum superbire secundum effectum quidem semper, non autem semper secundum affectum. Ita S. Thom.

QUÆRO IV. Superbia estne peccatum mortale? Et quæ sunt species ejus?

IV. Resp. 1. *Superbia* est peccatum mortale ex genere suo, id est, infra suum genus, seu speciem, & absque accidente, sive præcisè ex objecto suo potest esse peccatum mortale, in individuo tamen non semper est peccatum mortale, sed aliquandò veniale. Ita S. D. *hic art.* 5. *in corp.*

Ratio ejus est. Ratio superbiæ consistit in hoc, quod homo non velit subjici Deo, & ut explicat ad 2. quod inordinatè se præferat proximo aut ab ejus subjectione se subtrahat, in quo etiam derogatur divinæ Regulæ, ex qua sunt hominum ordines instituti, prout scil. unus eorum sub alio esse debet. *Subsumo*: Sed hoc ipsum, quod est non subjici Deo, habet ex objecto rationem peccati mortalis; hoc enim est averti à Deo. Ergo superbia secundum genus suum est peccatum mortale. *Subdit S. Doctor*: Sicut ta-